VITAE SS. IOANNIS DE MATTHA, ET FELICIS DE VALOIS, ...

Francisco : de Macedo, Guillaume Chasteau, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 B
14

M

Ex Bibliotheca
PP. Coll. Rom.
Societ. Jesu



Sanctus Ioannes
de Matha

Sanctus Felix
de Valois

Fundatores Ordinis SS.æ Trinit.is Redempt.is Captiuorum.

Romæ Superior. licentia

VITÆ
SS. IOANNIS DE MATTHA, ET FELICIS DE VALOIS

Fundatorum Ordinis SS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum. Et ipſius Familię pia ſtudia, & eximij Fructus.

Authore R. P. M. Fr. Franciſco à S. Auguſtino Macedo, Minorita Luſitano, Theologiæ Controuerſæ in Collegio de Propaganda Fide Lectore, & S. Officij Romæ Qualificatore, &c.

Acceſſit Appendix Reuelationis Lateranenſis. Per P. Fr. Ioannem à Conceptione, Diſcalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Congregat. Hiſpaniæ; in Romana Curia Procuratorem Generalem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Romę, Typis Angeli Bernabò à Verme 1660.

Superiorum Permiſſu.

Imprimatur.

Si Videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacr. Palatij Apoſt.

Octau. Carafa Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capiſuccus Ordin. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.



S. D. N.

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX.

Fr. Ioannes à Conceptione S. D. F.

OPTARE magna licet cum iuſtum eſt votum, Beatiſs. Pater. Nihil ego maius deſiderare potui, quàm Alexandri Pontificis Maximi

§ 2 *Opti-*

Optimi patrocinium. An id iuſtè optarim, materies operis palàm faciet. Fundatorum Ordinis SS. Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum, Vitas, geſta, inſtitutum, & normam, & Redemptricis Familiæ fructus, libellus hic continet. Haud indignum Pontifice Alexandro Argumentum. Quid enim Pontifex niſi Seruatoris Chriſti Vicarius, qui ſanguinem illius diſpenſat, & animos noxis eximit? Et Claues eius Regni geſtat, in quo vera libertas eſt, & quod non niſi è mortalitatis carceribus liberi ingrediuntur? Quid Alexandro congruentius? qui ex quo ſolium occupauit Seruatoris munus exercuit, Ciuitates ab incendio, Venetos à periculo, Italiam, à vaſtitate, Romam à peſtilentia liberauit? At paruum eſt opus. Sed non ideo Alexandri nomen non feret: nam etſi olim montes Alexandri effigies æquauit, marmora tamen, & tabulas non excluſit, imò & palà annuli anguſtias in gemmula incíſa

ciſa

ciſa non ſpreuit. Hæc mihi animos fecerunt Beatiſſime Pater, vt hoc opuſculum Sanctitati Tuæ, nomine publico Diſcalceatę Familiæ meę dicarem, quæ cum mihi Procuratoris Generalis Prouinciam impoſuerit, nullum à me gratius officium expectare poterit, quàm ſi quem mea opera libellum ſcribi curaui, eum nomine tuo inſignem facerem, quod eximia, & antea virtus, & nunc pacata maiori ex parte Europa, felicitas, non clauſo Iani templo, ſed aperta Pacis Æde, glorioſum reddit.

Valeat S. T. in annos plurimos.

Beneuolo Lectori.

PRÆFARI paucis in breui opere oportet. Vix dum cœptum illud, cum eſt confectum. Vtinàm, & perfectum. Nec tu tamē non elaboratum putes, imò & elucubratum crede. Exiguum tempus dixeris, ſi dies numeres: ſi horas prolixum. Nihil mihi minus venerat in mentem, quas haſce Vitas ſcribere. Seuerioribus oppreſſus curis rubigine ſtylum infuſcaram, cum ſubitò ſum coactus detergere, & lumina accendere. Seuocatus à ſtudijs, & negocijs, retruſus in cellulam me collegi, & omnes neruos intendi, quò breuius, & accuratius ſcriberem. In alieno eram, ſed mihi ex integro redditus. Itaque vacaui. Penna ſimul, & lima vſus. Habitaui in libris: nec quidquam niſi ante perſpectum, & præmeditatum ſcripſi. Veritati, cuius vetus amator ſum, vni litaui. Secundum eam, ornatus rationem habui. Nec enim amo incompta. Quòd ſi etiam neglecta decent, pœnas incuriæ legenti tibi haud dedero. Caſtigatus habi-

bi-

bitus feſtinanti congruit. Ambitioſos titulos reieci. Vitas inſcripſi. Rebus, non ſono ductus, ad geſta te inuito, non ad nomina. Redemptricis Familiæ Fundatores duos & Fratres, & Pares, ſi exprimere, veris non potui, certè non fictis coloribus adumbraui. Inſtitutum, normam, rationem vitæ, tum ab ijs actæ, tùm ſuis propoſitæ, vt vt potui deſcripſi. Incrementa, onera, labores, fructus, impendia vſque ad ſanguinem profuſum commemoraui, & in corollaria ieci, more illorum, qui ingentes rationum in tabulas digeſtas ſummas, in compendium redigunt. Suaſor, & hortator, & adiutor huiuſce, quale quale illud eſt, operis, fuit R. P. Fr. Ioannes à Conceptione Diſcalceatorum SS. Trinitatis Congregationis Hiſpaniarum Procurator Generalis, & Conuentus S. Caroli ad quatuor Fontes de Vrbe Miniſter, vir iuxtà litteratus, & pius, & ſui Ordinis ſtudioſus. Ille cunctantem incitauit, inchoanti adfuit, commentanti aſſedit, laborantem iuuit, laſſum recreauit. Certè ſi magnum quiddam hoc eſſet, ad eum vti ſuſcepti, ita ab abſoluti operis gloria rediret. Cæterum totus ei Trinitariorum

Patrum Ordo gratias & agere, & habere ingentes debet; non quòd hoc à me officium, quod quàm ſit exiguum ſcio, elicuit, ſed quòd multò à me amplius, & ſuo par animo, habere deſiderauit. Vale.

Fa-

Facultas Reuerendiſs. P. Min. Generalis Ord. Min. S. Franciſci, &c.

INſpectis Approbationibus poteſtatem facimus P. Fr. Franciſco à S. Auguſtino Macedo, noſtri Ordinis Lectori Iubilato, &c. Excudendi librum, cui titulus eſt, *Vita SS. Ioannis de Mattha, & Felicis de Valois, Fundatorum Ordinis* SS. T*rinitatis Redemptionis Captiuorum, &c.* Dat. Romæ in Conuentu noſtro S. Mariæ de Ara Cœli. die 24. Nouembris 1660.

Fr. Michael A*ngelus de Sambuca Min.Gen.*

Libellum hũc ex commiſſione noſtri Reuerendiſs. P. Min. Gener. à me reuiſum, ad gloria Dei, & Ordinis SS. Trinitatis, publica editione dignum cenſeo. Dat. Romæ in Ara Cœli die 21. Nouembr. 1660.

Fr. Petrus Paulus Lotticus ſac.Theol.Lect.Gen.

Opus iſtud, cui titulus eſt, *Vitæ SS. Ioannis de Mattha, & Felicis de Valois, &c.* Ex iuſſu Reuerendiſs. P.N.Min.Gen. diligenter, & iucundè perlegi, & prælo dignum exiſtimaui. Prodeat igitur in lucem, ad iſtorum Fũdatorum, & ſacræ ſuæ Redemptricis Familiæ gloriam. Dat. Romæ die 22. Nouemb. 1660.

Fr. Alexius Romanus in Conuentu Aracœlitano. Sac.Theol.Lector.Generalis.

Pro-

Proteſtatio Authoris.

LEctor aduerte, quod ſi quæ in recenſendis Elogijs, ac geſtis Sanctorum Ioannis de Mattha, & Felicis de Valois, necnon in reliquis omnibus in præſenti libello contentis exarandis, complexus ſum, quæ adhuc Apoſtolicæ Sedis examen, approbationem, aut iudicium deſiderent; illa tantum affirmare velim tanquam humanam, & priuatam hiſtoriam, ſola fide ſuffultam, quam Authores à quibus eadem hauſi promerentur: nullum proinde hoc nouo teſtimonio probationis gradum, quouis etiam longiſſimi temporis curſu mox intercedente, obtenturam. Et ea qua par eſt obſequentiſſimi filij in Apoſtolicam Sedem obſeruantia, Decretis ſan. mem. Vrbani Papæ VIII. inhærendo, præſentes lucubrationes humillime ſubijcio.

Fr. Franciſcus à S. Auguſt. Macedo.

INDEX

INDEX

Capitum Totius Operis.

Vita S. Ioannis de Mattha Fundatoris Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis.

CAp. I. Natales illuſtres, & mirabiles: educatio honeſta, & pia: rudimenta liberalia, & ſtudioſa Io. pag. 1

Cap. II. Humanitatis ſtudia intermittit: dat ſe contemplationi: ſecedit è domo paterna in vicinam Eremum. pag. 4

Cap. III. Inſtinctu diuino repetit ſtudia litterarum: mittitur Pariſios; Proficit; lauream, & Cathedram obtinet. pag. 6

Cap. IV. Imperio Superiorum ſacris initiatur. Igneà Columna conſecrati caput inſiſtit. pag. 9

Cap. V. Cum primũ facit, Angelus ſpecie Redimentis Captiuos palàm viſus, rationem inſtituti, & formam habitus oſtendit. pag. 11

Cap. VI. Romam ſtudio Religionis Redemptricis condendę euntem amor ſolitudinis reuocat, & ad aliam Eremum traducit. pag. 14

Cap.

Cap. VII. Ex hac Eremo ad aliam, cui Ceruo Frigido nomẽ erat, inſtinctu diuino ſe confert, vbi Felix Valleſius ei à Deo deſtinatus Socius morabatur, quẽ adit, & alloquitur. pag.16.
Cap. VIII. Felicis Valleſij ad Ioannem reſponſio, & adhortatio. pag.20
Cap. IX. Exercitationes Ioannis, & Felicis in ſolitudine; & mirum Cerui candidi Crucem Redemptionis inſigne præferentis; oſtentum. pag.23.
Cap. X. Conſultantes, nec dum deliberantes ſuſcipere Redẽptorum munus, Angeli ter obiecta ſpecie permouetur; & relicta Eremo Lutetiã primum, mox Romam proficiſcuntur. pag.26.
Cap. XI. Romam veniunt; Innoc. Papam adeunt; Conſiliũ ſuũ exponunt. pag.28.
Cap. XII. Innoc. ad probandũ Redẽptricis Familiæ inſtitutum viſus inter ſacra peragenda ijſdem cum inſignibus, quibus cum olim Ioanni apparuerat Angelus, & vox de cœlo ab eo audita, mouet. 30.
Cap. XIII. Innoc. ad Eremitas Patriarchas, ſuper ſuſcepta redimẽdi Captiuos Prouincia, plena diuini ſenſus Oratio. p.33.
Cap. XIV. Decedunt Roma: veniunt Pariſios:

riſios : obtinent Regulam ; redeunt ad Ceruum Frigidum ; prima ibi Ordinis fundamenta locant. pag.37.
Cap. XV. Ad Vrbem Ioannes proficiſcitur: manet Felix, domum latiorem ædificat acceptis à Gualterio, & Mathilda fundis. Socij aggregantur ; Ipſe omnibus præficitur. pag.41
Cap. XVI. Offertur à Ioanne Innoc. Regula : ille ab hoc benignè excipitur; ea, rite dato in id diplomate, confirmatur. pag.44.
Cap. XVII. Incipit Redemptoris munus exercere Ioannes: Socios ad Marrochij Regẽ mittit: ad hunc dat litteras Innoc. & via ad redemptiones aperitur. p. 48
Cap. XVIII. Cerui Frigidi religioſus ardor: Ioannis eximiæ virtutes domi; Expeditiones ſacræ foris recẽsẽtur. p.50.
Cap. XIX. Multis, & grauibus, dum Redemptionem Captiuorum exercet Ioãnes, periculis ſe obijcit, & editis miraculis, diuinitus ab omnibus liberatur. 56.
Cap. XX. In morbum incidit Ioannes. Præparatur religioſe ad mortem. Obit feliciſſimè ; patrat mira; effertur ; ſepelitur; Epitaphio de mandato Innoc. decoratur. pap.70.

Vita

CAp. *I.* Ex Parentibus Regiæ Gallicę ſtirpis Ambiani naſcitur Felix auſpice Deipara: Sacro fõte luitur: Hugo appellatur: poſtea Felix nũcupatur. 77

Cap. *II.* Offertur infantulus S. Bernardo, ab eo amanter ſuſcipitur. Grande in ea ętatula patrat miraculum: Ab *Innoc.II.* trimus benedicitur. pag.80

Cap. *III.* Cum lacte diſcit pauperum miſerias leuare. Huius puerilis ætatis, & largitatis mira exẽpla afferuntur. p.83.

Cap. *IV.* *In* Cœnobio Clarę Vallis diſciplina litterarum, & morũ imbuitur; Matri; & Auunculo Deũ propitiat. pag.88.

Cap. V. Pauperi ſubuculã donat: *In*ſigni Sicario vitã ab Auũculo exorat: Mortuũ ad vitam reuocat: Matrem amittit. 90.

Cap. V*I.* Poſt mortem Matris ad Aulam à Ludouico Rege conſobrino reuocatur. Crucem Hieroſolymitanam ſuſcipit: ab bellum varijs armorum exercitationibus ſe comparat. *It*, reditque ex bello ſacro; & capta ex conſecuta theatri ruina ſtrage occaſione, rebus humanis nuntium remittit. pag.95.

Cap. V*II.* *I*nitiatur ſacris; operatur; ſecedit

dit in ſolitudinem; primùm in ea ſolus diù; poſtea inuentus à *I*oanne cum eo tres annos degit. *I*n diſceſſu Romam à ſe *I*oannis, animo linquitur, & mortem ſibi ſuam præſagit. pap. 100.

Cap. *VIII*. *I*n Cœnobio proficit. Deiparam Virginem cum cętu cæleſtium Matutinas preces recitantem audit, & comitatur canentem. Captiuorum Redēptionem ſtrenuè iuuat. pap. 104

Cap. IX. Certior inſtantis mortis ab Angelo factus, & ad eam obeundã à Deipara Virgine confirmatus, ſanctiſſimè moritur. pag. 107.

Cap. X. Poſt mortem apparet *I*oanni, eique vale ſupremum dicit, & commendat ſuos. Effertur, & procurato ei funere ſepelitur. pag. 112.

Corollarium primum.

Argumenta, & teſtimonia Sanctitatis Patriarcharum *I*oannis, & Felicis.

CAp. *I*. Notæ à rationibus ductæ afferuntur. pag. 117.

Cap. *II*. Venerationis, & cultus antiquitas expenditur. pag. 122.

Cap. *III*. Huiuſce Cultus vetuſtiſſimi ab initio per manus traditi ad noſtra vſq;

tem-

tempora, perpetua, & nunquàm interrupta tranſmiſſio . pag.126.
Cap. *IV*. Summorum Pontificum ergà eoſdem Patriarchas ſtudia, & teſtimonia ſanctitatem eorũ ſignificantia. 135
Cap. V. Quo cultu, & honore in Eccleſia iſti Sancti Fundatores celebrẽtur.p.142

Corollarium Secundum.

De Regula, & Fructibus huius Religionis.

CAp. *I*. Regula propria Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis. pag.149.
Cap. *II*. Fructus horum Gallici Horti Liliorum è Redemptione Captiuorum collecti. pag. 155.
Cap. *III*. De Fratribus huius Familię, qui in odium fidei mortem obierunt.p.168

Appendix Reuel. Lateran.

CAp. *I*. Summi Pont.qui dictã Reuelationẽ inſinuarũt,& aſſeruerũt.179
Cap.*II*. Authores, qui dictam Reuelationem expreſsè afferunt, & aſſerunt, aſſignando annum primum Innocentij, & diem Sanctæ Agnetis ſecundò. p.185
Cap.*III*. Reuerendiſs.Mag. Sac.Ap.P. qui dictam Reuelationem in diuerſis libris approbarunt per ſe, atq. Socios.p. 192
Cap.*IV*. Aliquæ obiectiones ponuntur, & diluuntur. 193.

V I-

VITA
S. IOANNIS DE MATTHA, Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum Primi Patris, & Fundatoris.

CAPVT I.

Natales Illuſtres, & mirabiles: Educatio honeſta, & pia: Rudimenta liberalia, & ſtudioſa Ioannis.

FALCONE (ſubalpinum id Oppidum in Prouincia eſt) Martha Maſſilienſis Ioannem ex Euphemio à Mattha ſuſceptum die 23. Iunij anno ſalutis 1160. in lucem edidit. Natales infanti Parentum nobilitas claros fecit: ſed quod ſecum ex vtero traxit omen, clariores. Grauidæ Matri, felix ſibi puerperium à Deo enixè præcanti, Beatiſſima Virgo Maria illuſtri ſpecie apparuit, & cum eam confirmaſſet, præ-

 dixit;

predixit; *Quem in vtero gerebat filium, eum inſignem fidelium Captiuorum Liberatorem fore. Se, quæ Aſſertarem Mundi Virgo pepererat, id tum renuntiare, ac in poſterum recipere.*

Vera & viſum, & vaticinium eſſe, gentilitij ſtēmatis ratio, cuius eo euentu refricata memoria, perſuaſit. Erat quippe Matthicæ Familiæ inſigne, effigies hominis Catenati addita Epigraphe, *O Domine libera me ab iſtis vinculis*. Grauem ferro, ſed vacuam ſenſu catenam geſſere ante Ioannem maiores, quid ſignificaret ſolliciti, donec Ioannes præſtitit redimentis officium: ac ſignificatione impleta ſtemma non tàm accepit à maioribus, quàm reddidit. Eminebant in vultu naſcentis clara muneris futuri indicia: erumpentes viui luminis radij, iam tum in tenebras Ergaſtulorum directi, vnde Captiui erant, adulto in ſolem puero, extrahendi. Natum his inſignem prodigijs, mater ſpei bonæ plena, & filij loco habuit, & vtì creditum ſalutis publicæ pignus accepit. Ita deinceps eum educauit, vt & amori erga proprium, & fidei erga alienum ſatisfaceret. Amantis

more alebat ad vitam ; inſtar timentis informabat ad virtutem : naturæ conſeruatrix , morum correctrix . Amare, & curare puerum; ſed amor intra curam eſſe. Verum maternam ſolicitudinem præocupauerat infans indicto ſibi adhuc lactenti inuſitato, ac ſeuero quatuor in hebdomada dierum ieiunio ; quippe qui die Lunę, Mercurij , Veneris , & Sabbato admoueri ſibi vbera minimè patiebatur ; eoque, matrem fortè ſolicitam,ne quæ illum illecebrę , deliciæue adoleſcentem corrumperent , metu liberabat , & quanto ſibi ſtatura eſſet Captiuorum redemptio innuebat . Cereum puero ingenium, ac ferreum, mirabili temperatura , ad virtutes , & vitia comparatum : illas vt mollis admitteret ; hæc vt aſper reſpueret :

Quam cum lacte pietatē imbiberat,nōdū firmata ætate moribus cōfirmauit. Vixdum explerat ſeptennium , cum acris ingenij ſpecimen dedit . Et monuit Parentes, vt excoli, ac exerceri curarent . Nec obſtitit ætas, quominus à Parentum complexu auulſus, Aquas Sextias , inſignem doctrinarum ſtudijs vrbem , mitteretur, honeſto comitatu . Ibi humaniorum lit-

terarum rudimenta poſuit, haud exiguo ſuo profectu; & pietatis monumenta reliquit magna ciuium vtilitate; quorum & collegit gratiam, & conciuit admirationem. Frequens in templis, aſſiduus in Xenodochijs, multus in ergaſtulis; orare ſuperos, curare ægrotos, ſolari vinctos, ſubleuare miſeros; miſſas ſibi ad vſus neceſſarios iuſtas pecunias cum egenis diuidere, ſibi deeſſe, alijs abundare. Cæterum in ſcholis diſcipuli, in doctrina morum Magiſtri partes impleuit.

CAPVT II.

Humanitatis ſtudia intermittit: dat ſe contemplationi: ſecedit è domo paterna in Vicinam Eremum.

VIX dum confectis humanitatis ſtudijs, tędere illud cœpit rerum humanarum; captus amore ſolitudinis vacare Deo cupiebat. Externis vinculis liber, domeſticis detinebatur: quæ ſpecie pietatis inter Parentes eò ligabant arctiùs,

ctiùs, quò ſtringebant religioſiùs. Nec ſe expediret, niſi afflatu Spiritus ſancti impetum animi conciperet, eoque impulſus in vicinam Eremum euolaret. Viſus eſt ſibi inueniſſe domicilium inter rupes; pacem inter feras: ſic eas amplexus, quaſi in rupibus fratres, in ſaxis ſorores reciperet. Putares Ioannem à monſtris ad ciues fugiſſe. Quem non terruiſſet denſitas nemorum, antrorum obſcuritas, montium aſperitas, ferarum immanitas, & vaſtitas ſolitudinis, & quæ in ea ſibi mens timida ſpectra fingit, omni vero metu horribiliora? Hęc tamen adoleſcentis animum, vel vana pauere ſolitum, incitarunt. Nempè voluptates, quas à tergo reliquerat, horridiores putabat. Puduit ſui humanæ ſalutis hoſtem, cum ſe victum, in ijs, quas obiecerat, delicijs vidit. Ergo artibus vſus à propoſito conatus eſt auertere. Perſonam coætanei aſſumpſit, ſocium eius ſe vitæ profeſſus eſt. Principio alacer, vt falleret: mox paulatim ſimulans ſe deficere, & infirmitatem excuſans, quas afferebat deficiendi cauſas, ijs tanquam argumentis ad deterrendum ab eo genere vitæ Ioannem

ſubdolè vtebatur. Nihil tamen profecit. Senſit dolos adoleſcens,& durius ſeſe accipiens, armis in ſe conuerſis (quæ vera eſt pugnandi cum eo hoſte ratio) multis modis ſe ipſum excrucians, pudore illum affecit, & fugauit.

CAPVT III.

Inſtinctu Diuino repetit ſtudia litterarum: mittitur Pariſios; *proficit; lauream, & Cathedram obtinet.*

NON diù tamen paſſus eſt Deus latere lumen; quo luſtrare orbem decreuerat. Iuſto, & quantum ſatis erat ad fructum ex illo receſſu capiendum,euoluto temporis ſpatio, repetendi ſtudia litterarum mentem immiſit, Domum igitur redijt, & inexpectatus parentibus, ſe reddidit; acta cum fide expoſuit, quid in poſterum agitaret, aperuit. Lutetiam Pariſiorum, Gallicas ſe Athenas cogitare; ibi ſe altioribus diſci-

plinis imbui oportere. Facilè perſuaſit; & venia, & commeatu obtento, & acceptis inſuper à Patre, quem nobilitas clarum vbiq; fecerat, commendatitijs ad Pariſienſem Epiſcopum litteris, eò contendit. Recenti ab itinere cæleſte Oraculum redditum, quo in ſuſcepto propoſito confirmatus ad litteras certius, alacriuſque incumberet. Cum ad S. Victoris (templum ideſt Canonicorum Regularium, S. Auguſtini vetus, & nobile) precandi ſe gratia contuliſſet, & ante Crucifixum ingeniculatus oraret, vocem ab illius ore his verbis expreſſam audiuit. *Stude ſapientiæ Fili mi, & lætifica cor meum.* Hæc ter repetita, & certum de propoſito, & alacrem ad ſtudia fecit. Ac inſuper deſiderium in Religionem vertit. Non mediocrem expectationem aduentu ſuo Lutetiam, nobilis adoleſcens commouit: magnam, poſt inchoata ſtudia profectu excitauit: quam initio egregie ſuſtinuit, & vbi altiùs intrauit in litteras magnopere auxit. Itaque breui inter æquales excelluit, & cum Theologiæ curriculum confeciſſet, dignus, qui Laurea donaretur ab omnibus eſt iudicatus. Sed eum, quo

nullús vſpiam honoratior habetur gradus, animus ab ambitione alienus refugiebat; nec eum preces amicorum, nec conſilia æqualium, nec monita Superiorum, vt acciperet compellere potuerunt. Tenax demiſſionis animus modeſto propoſito firmiter adhærebat. Rupem crederes, ſed Petra petram eliſit, ac rupit. Nam Sanctus Petrus, quaſi ſua ad Romanę Eccleſiæ vtilitatem intereſſet, ei ſe per ſpeciem noctu obtulit, ac ſeriò iuſſit oblatam lauream ſuſcipere. Sic placitum ſuperis. Paruit Ioannes tinnitui clauium, & vocis tonitruo. Itaque magno omnium & aſſenſu, & plauſu gradū adeptus impoſita capiti lauro, minax Diui Petri fulmen euaſit. Raro aliàs in illa celeberrima Academia tanta gratulatio fuit. Ac vt ex Ioannis doctrina fructus exiſteret, egit Epiſcopus (is erat Odon à Soliaco Canonicus Regularis Sancti Auguſtini, vir in paucis doctrina, & morum ſanctimonia clarus) vt ei publica commiſſa Cathedra palàm docendi munus imponeretur. Omnium votis, & ſuffragijs reſiſtere non licuit. Suſcepit Magiſterium, & cum laude exercuit; eò profundius in animos de-

deſcendebat doctrina, quò illam Doctor exemplis virtutum altiùs imprimebat.

CAPVT IV.

Imperio ſuperiorum ſacris initiatur. Ignea columna conſecrati caput inſiſtit.

NIHIL eo inuitius ad honores, etiam illos, quos Religio commendabat. Impulſu opus erat, deorſum demittendi ſe ſtudio eunti, vt ſurſum agi poſſet. Ergo illi Epiſcopus Pariſienſis, qui eum probe nouerat præcepit, vt ſacros Ordines ſuſciperet, incuſſo ſcrupulo, ni pareret. Hæc vna erat perſuadendi via; iubere; vt non tam promoueri ad honores, quam deſcendere ex arce arbitrij obediendo videretur. Hac arte extortus Ioanni conſenſus,& collatus Sacerdotij honos. Cumque Epiſcopus ſacris impoſitis capiti manibus, verba ſolemnia fatus eum ritè conſecraret, ſubitò exortus circum caput ignis lambere viſus tempora, &

& flammas circum caput fundere, quæ principio diffundi; deinde coire, & ſolidari in ſpeciem columnæ, & ſurſum ferri. Attonitos ſpectaculum circumſtantes terruit. Primum aſpectu inſolitæ rei commoueri, & ex inſolentia paueſcere, mox confirmari miraculo, ac recreari, tandem ratiocinari, quid illud prodigium ſignificaret; alij ad merita initiati reuocare; in igne, ſi ardoris ratio haberetur, eius charitatem, ſi luminis doctrinam; in columna, demiſſionem animi ſi grauitas lapidis expectaretur; ſi ſoliditas, vel in repudiandis honoribus conſtantiam, vel perſeuerantiam in bono, vel in aduerſis fortitudinum ſignificari. Alij ad ventura referre. Fulcrum, illum, & lumen, Eccleſiæ fore; nouam ad ſuperos intra labores igneam, vltra lacteam, viam monſtrare. Quidam, cum reſpectu ad vetus Hebræorum in deſerto ductricis columnæ potentum, iactare illum Ducem Religioſis viris fore, in ſolitudine iam arſiſſe, & iterum arſurum; quà nemo iſſet antea, ſuos ducturum: non trito itinere, ſed puro, & inſolito, in quo nulla extarent aliena impreſſa veſtigia. Hos

rem

rem attigiſſe, cum primum rem fecit Diuinam, apparuit.

CAPVT V.

Cum primum facit, Angelus ſpecie Redimentis Captiuos palàm viſus, rationem inſtituti, & formam habitus oſtendit.

CELEBRIVS primum illud ſacrificium, & templi maieſtas, & adſtantium nobilitas, & frequentia fecit. In ſancti Victoris Regulariũ ſancti Auguſtini Canonicorum Fanum, Oddo Epiſcopus, & Abbas eiuſdem Conuentus Ioannes, & alter Sanctæ Genoueſæ Abbas Robertus, & Abſalon, qui illi à Confeſſionibus erat, ac ipſe Academiæ Rector, & maxima profeſſorum pars, & lectiſſimi quiq; Pariſini Ciues ſacris operanti aderant. Ecce tibi ſacram in altum attollenti Hoſtiam, omnium eò conuerſis oculis, in conſpectum ſe dedit Angelus palàm Altare ipſum inſiſtens, candido veſtitu; qua

parte pectus tegebat, Cruce inſignis, cuius duæ faſciolæ ſic inter ſe commiſſæ, vt recta purpureum, tranſuerſa cæruleum colorem præferret, brachijs cancellatim poſitis viuam aliam exhibentibus Crucem, duos ante ſe Captiuos, vnum Chriſtianum, Æthiopem alterum catenis onuſtos habebat, ſuper quorum capita manus ex tranſuerſa brachiorum poſitione commutatas demiſerat, ceu vnum altero mutare vellet. Affecit ea ſpecies vehementer omnium animos, ſed ſacrificantis vehementius, adeo vt extra ſe factus diù ſine ſenſibus immotus conſiſteret, ac eo interuallo dum peregrinaretur à ſenſibus diuinitus accepit, inſtitutum à ſe iri Religionem, cuius ille Angelus typum prætuliſſet, id eſt captiuorum fidelium Redemptricem fore. Redditus ſibi ſacrificium inchoatum abſoluit. Auditores, vti erant recentis miraculi nouitate perculſi, eum circumſteterunt; abductum Epiſcopus, & cæteri primarij in Sacrarium, quid rei eſſet? rogarunt. Diſſimulare non licuit; nec conſulto de ſignificatione, ſed facto opus erat. Conuenit, vt ille Romam ad Summum Pontificem

(is

(is tunc erat Cæleſtinus III.) ſe conferret; & re, vti erat, narrata, Religionis ei inſtitutum aperiret, approbationem, & Regulam poſtularet. Hanc vt facilius obtineret, litteræ ei ab Epiſcopo, & Abbatibus datæ, quę, & fidem dictis facerent, & perſonam commendarent.

Hoc illuſtre, ſed mutũ tamen in Gallia prodigium, vox diuina in Hiſpania canorũ reddidit. Sanctus Dominicus ſuppar ętate Ioanni, quòd erat decennio minor, fuit. Huic puero litteris Palentiæ operam danti mulier quædam, quæ virtutem eius probe nouerat obuiam venit, rogans, vt fratrem, qui in poteſtatem Turcarum venerat ſuis precibus liberaret. Ad quam Dominicùs, *vin tu*, inquit, *eo me deferre, ac fratrem hoc tuum reddito quaſi pretiò mutare? En ego*. Cumq. illa cohorruiſſet, & facturam ſe negaret, recepit ſanctus puer tentaturum ſe apud Deum precibus ſi quid poſſet. Oranti coram Crucifixo, & enixè libertatem captiuo petenti, reſſponſum huiuſmodi Chriſtus dediſſe fertur. *Fili pro qua preces fundis, ea res te non attinet. Ad alium pertinet Doctorem Pariſiẽſem Ioannem, & Socios, quibus ego hanc prouin-*

uinciam impoſui. Aliam tu non minus nobilem ſuſcipies, & tuis adminiſtrandam trades. Ea vox in vtramque partem verum oſtentum confirmauit. Eaque item ab oſtento fidem accepit.

CAPVT IV.

Romam ſtudio Religionis Redemptricis condendæ euntem, amor ſolitudinis reuocat, & ad aliam Eremum traducit.

MORAM nec res, nec auctoritas patiebatur: dat ſe vię Ioannes; venit in Prouinciam; hàc iter erat; patria in itinere. Eo cnntendit. Domo ſe abdit, & colligit. Studet meditationi rerum Diuinarum, hæc mentem abſorbuit, & cæteras cogitationes conſumpſit, vacuus deindè, quibus eum onerabat, & negotium, & iter, curarum eſſe cœpit. Mens diuino illuſtrata lumine, cum plus in Deo videret, eius contemplatione frui maluit. Solitudo ſui deſiderium à teneris aſſueto fecit;

cit; nec vicina placuit, vnde reſpectus in patriam eſſet. Ergo redit Lutetiam: litteras ijs, qui dederant, reſtituit. Declarat ſibi receſſum à Deo imperatum. Forte opportunum rei tantæ præſtandæ tempus non eſſe; aliud expectandum; interim quieſcendum, & orationi vacandum. Partem communis vtilitatis eſſe, ſibi conſulere, ſeque perficere. Ardor animi, vis oculorum dicta confirmabant; permiſſum abire, quò vellet. Ignarum viæ, incertum loci, ſpiritus, qui agebat duxit in ſolitudinem Meldenſis Territorij: acceſſu difficilem, aditu aſperam, arduis montibus cinctam, quæ Brodelia nuncupata, à conſpectu hominum, vſuque ſemotam, ſola vicinia nobilem, quòd non longe ab ea Sanctus Friacrius Eugenij Scotorum Regis filius ſolitarius quondam vixerat. Magna in ea vaſtitate ſpecuum copia, dubium Ioãnem reddidit, quam eligeret. Scrupea illum hora vocabant; placuit quę horridius, & fędius hiabat. Huius ſe ſinu incluſit ſcrupeus hoſpes ob duritiem vitæ futurus.

CA-

CAPVT VII.

Ex hac Eremo ad aliam, cui Ceruo Frigido nomen erat, inſtinctu Diuino ſe confert, vbi Felix Valeſius à Deo deſtinatus ſocius morabatur; quem adit, & alloquitur.

SEPTEM hic menſes penè ſepultus egit; nempe animus in cœlo erat corpore, ceu onere abiecto. Sed eum Deus ſuſcitare decreuerat, & in publicam ſalutem excire, & ſocium in Eremo parabat. Haud procul inde in vaſto nemore Anachoreta iam pridem nobilis degebat, quem multo ante ſpiritus illò compulerat, vt eum ad eaſdem vitæ rationes Aſceticis operibus præpararet. Is erat Felix Valleſius Regiæ ſtirpis Galliæ flos, illis ſentibus implicitus, vt tutiùs eſfloreſceret; cuius cum fama latiſſimè emanaſſet, ad Ioannem, qui in viuis quodam modo eſſe deſierat nondum peruenerat; cumque vterque Deo notus, & carus eſſet, neuter alteri

teri innotuerat. Iam apud Deum coniuncti, vbi corpore diſtabant: in terris inter ſe diſiuncti, vbi non multum diſſiti erant. Decebat, vt iunior ſeniorem quæreret. Occultum Aſcetam Ioanni arcano inſtinctu aperuit Deus, & illius viſendi deſiderium immiſit. Timuit ſibi Religioſus animus ab impoſtura Diaboli; ſed ſecum diſputanti iret ne, an maneret? obiectus elegans adoleſcens, & maior quàm pro humano habitu timorem abſtulit; Angelum profeſſus, quæ dux viæ eſſet, cuius Auctor Deus fuerat: non fefellit aſſuetum ſpecies. Secutus eſt præeuntem; nec enim in antro niſi Rupes reliquerat. Ibant ocyſſimè ambo; ille ſpiritus, hic prope ſpiritum; emenſo iuſti itineris ſpatio ſenſit Ioannes mortalem ſe eſſe. Laſſus ſubſtitit. Sedentem rupes excepit; clauſit oculos ſomnus neceſſitate dulci; ſed amara, cum rurſus aperuit, non viſo duce; non potuit non triſtari; morari tamen noluit; oratione ſuppleuit defectum ducis. Ire vlterius pergens in paſtorem incidit, qui erexit: rogans quippè, vbi nam Felix verſaretur? didicit ex eo locum, quem vt certiùs noſſet, digito monſtrauit.

Ex horrore, & vmbra incolam ibi eſſe agnouit. Haud nouus veniebat, nam proxima nocte venturum Felix Deo aperiente præſciuerat. Vt in conſpectum venerunt, alter alterius aſpectu attoniti conticuere. Prior ſe Felix admiratione explicuit, cui hoſpes excipiendus erat. Non ei cautes innatam vrbanitatem aſperitate deterſerant. Introducto Ioanni ſedem Felix obtulit. Sed negauit ſe priorem Ioannes ſeſſurum. Hinc pia inter eos orta de ſede (non abſimilis ei, quæ inter Paulum, & Antonium de pane olim fuerat) contentio. Ea demum ex eorum doctrina dirempta, nempe vt ambo pariter, ac ex æquo ſederent. Dein Ioannes ne diu anxium Felicem teneret, propoſitum ſibi ait renuntiare humanis, ſeorſim viuere; at non ſine duce, Magiſtroque, ne fallatur. Iuuenem ſe; valere impetu, ſed conſilio indigere. Hoc præſtare exercitatos, ac ætate prouectos. Meminiſſe mortalem ſe & peccatorem natum; natura imbecillum, miſerum culpa; adiutore homine opus, qui cum ægrotet, confirmet, cum erret, corrigat, cum labatur, erigat. Hac mente eò veniſſe, vt ab eo docto eridiatur,

exer-

exercitato iuuetur, ſeniore informetur, pio ſubleuetur; ſuam quoque operam polliceri ſi qua in re iuuenis, & rudis, ſeni ac perito vſui eſſe poſſit: haud temerè dici ſolere: hominem homini Deum eſſe; vt cætera præſtare nequeat, vnum à ſe præſtandum; cuius ſemel adhæreret lateri ab eo numquam ſe, vel latum vnguem diſceſſurum. Inter feras immanes docilem ſe diſcipulum, quem inſtituat; inter ſaxa durisſima, ceram mollisſimam, quam fingat; inter annoſas, & aſperas ſyluas teneram plantam, quam riget; inter horrentes nemorum tenebras ſequacem eius vmbram ſe fore. Id auctore Deo conſilium ſuſcipiſſe. Hoc impellente eum currendi impetum cępiſſe, currentem in virtutis ſtadio, ſi immoderatius, contineret fræno, ſi remisſius, incitaret admotis calcaribus. Vno verbo, in eius poteſtate ſe eſſe.

* *
*

CAPVT VIII.

Felicis Valeſij ad Ioannem reſponſio, & adhortatio.

FELIX ad hæc nihil, niſi præmiſſa oratione; cui ſe genibus flexis dedit, reſpondere voluit. Tum deterſis, quæ eruperant, lachrimis, ſic orſus eſt. Et antea noueram te, mi Ioannes hìc afflatum ſpiritu eſse venturum, & nunc id tuis mihi verbis perſuades, quæ non niſi ab eo, qui te afflauit, dictari potuerunt. Demiſſio, quam præteſers animi de tui auctore propoſiti dubitare non ſinit. Aliena ſunt hęc ab eo ſuperbiæ patre, qui Deum deijcere voluit, ſeque in eo, è quo deijciſſet, gradu collocare. Præoccupaſti adoleſcens, quæ à me tibi ſene, vti ſum, ac erudito, cuiuſmodi non ſum, dici poterant. Immò & multa ex te loquente didici ſenex, quæ non didiceram; pudore me afficis, cum me magiſtro vſurum te dicis, cum intùs audias eum, cui ego operam multo ante dedi, ac minùs, quam tu profeci: ſed

ſed doctrinam imputas animo, cum debeas aſſignare virtuti. Ego plures numero, quam tu recenſeas, ſed numerum Deus non exigit, æſtimat pondus. Nec tu te mihi rudem finge, quem ſcio eſſe veterem Aſcetam, & pugilem in paleſtra virtutis exercitatum: nec ceram te mihi præbe, qui lucerna luces in templo Dei; nec vmbram te ſequacem voces, quem ſol Diuinus irradiat: ſocium ego te mihi parem, & adiutorem venire confirmo; immò maius quidam de te ſuſpicôr, ducem mihi, & authorem magnæ rei à Deo miſſum, ad quam perficiendam adiutor, & comes ſim futurus. Sinamus tamen hæc intra ſinus occultos diuinæ prouidētiæ versari, donec ei, qui abſcondit, placeat reuelare; quod nos attinet vacemus precibus, ſtudeamus virtutibus, & qui ab hominum nos aſpectu, vſuq; remouimus, demus operam, vt quam procul ab ijs ſumus corpore, tàm propè cælites ſimus animis. Id tanquam ſenior te iuuenem moneo, ne in tuto eſſe te putes, quod è Mundi laqueis euaſeris. Non ſolus ille hoſtis eſt infeſtior; intra nos eſt inteſtinus inimicus, à quo dum viuimus, tuti eſſe

non poſſumus: qui eò pernicioſior eſt, quo tectior. Cum hoc neceſſariò pugnandum, qui ſæpe rebellat, & niſi intenta cuſtodia mentis ſit, incautis obrepit, vt deijciat. Huius nos armis Dæmon hoſtis oppugnat, qui loco non addicitur, ac in ſolitudine vacuus nos ſpeculatur, & obſidet; & cum illecebris, & lenocinijs titillare corpus induratum nequeat, ipſa virtutis profeſſione animos pertentat, & vanæ gloriæ flatu inflat, & ad ſuperbiam inducit, quo nullum malum peſtilentius. Quare vide quàm verſemur in lubrico, vbi non ſolum nobis cauendum eſt à vitijs, ſed etiam timendum à virtutibus. Hos tamen hoſtes prorsùs vincemus, ſi opem omnem, fiduciamque in diuinæ gratiæ præſidio ponamus, & quid quid boni agimus, Deo, quid quid ſecùs, nobis tribuamus.

CA-

CAPVT IX.

Exercitationes Ioannis, & Felicis in ſolitudine; & mirum Cerui candidi, Crucem Redemptionis inſigne pręferentis, oſtenſum.

EXINDE collatis ſtudijs ad omnem ſe virtutem ſimul exercuerunt, altero alterum, & iuuante, & æmulante. Triennium fermè conuixere ſumma concordia, niſi quod alter alterum ſtudio virtutis certabat anteire, & opinione cedere. Hoc illis ad proficiendum tempus præſtitum; eo exeunte euenit, vt cum ambo, vti ſolebant, ad vicinum fontem animi gratia accederent, ibique de rebus diuinis ſermones ſererent, Ceruus candidus, quem ſolitum æſtiuo tempore eò refrigerationis cauſa venire conſtabat, improuiſus apparuit nouo inſigni ſpectãdus ſe aperiebat: nam inter opaca ramoſis cornibus fronte, qua patuerat Crucem illam inſignem ex rubro, ac cæruleo in-

brachijs diſtincto compoſitam præferebat. Inſolens res Felici viſa, qui vehementer commotus expauit; Ioanni frequentia admirationem abſtulit; ſed auxit curam. Ambobus notus erat Ceruus, ſed ſine oſtento; tum ex illo nouus apparuit. Interea dilapſus Ceruus, quas auerterat mentes, fuga ad conſiderationem ſpectaculi, cauſamque conuertit. Obſeruarat Felix minus commotum fuiſſe Ioannem; haud temerè eſſe putauit; atque vti erat acutùs id inter loquendum iecit, & cauſam inquirens rationem elicuit. Celare Ioannes nôn potuit; nec Deus tacitum tuliſſet: igitur quæ antea Lutetiæ viderat commemorauit. Quibus auditis iudicauit Felix, facto opus eſſe. Cunctante adhuc Ioanne, cui angulus ille mire riſerat, & Felici minùs aſſentiente, non cedit hic. Et quid tu, inquit, moraris? & toties monitus refractarium te Deo præbes? An pudet Crucem portare, & Chriſtum vocantem ſequi? quin abis, & Ceruum illum immitaris, quem ideò miſit, opinor, Deus, vt in velociſſima fera quàm tibi eſſet properandum ſignificaret. Portauit ſecum illam, quam vidiſti, Crucem, vt te do-

ceret

ceret cum ea tibi qnoque eſſe currẽdum: gelidas aquarum delicias neglexit; quo moneret, tibi quas in ſolitudine ſuauitates experiris, eſſe relinquendas. Væ tu niſi pareas, Chriſtianæ Reipublicæ nimis incommodas, teque ingentis noxæ reum facis. Deum tentas, ſi vltra expectas; quid enim ille apertiùs ac mirabiliùs edere poſſit non video. Mouit Ioannem oratio; nec iam manere in votis erat. Ducere ſecum Felicem agitabat. Negabat hic vocari ſe; ſuadebat ille. Cur enim, aiebat, Deus huc me relicta Eremo vicina miſit? Cur ambobus viſum illud exhiberi iuſſit? Cur illa Crux duplici colore diſtincta? Cur mihi bis apparuit, ſemel in Vrbe, iterum in Eremo; niſi vt duo eam portaremus, & vti eam Chriſtus cum Simone, ita & vnus noſtrum cum alio communicaret? quin tu mecum in partem venis? ne vnus ego obruar pondere. Aut tibi mecum hinc eundum, aut mihi tecum hìc manendum. Ego te aut meriti, ſi Deus ire iubet, conportando comitem; aut culpæ, ſi Deus manere vetat, deſerendo Crucem ſocium habebo.

CA-

CAPVT X.

Conſultantes ; nec dum deliberantes ſuſcipere Redemptorum munus, Angeli tèr obiecta ſpecie permouentur ; & relicta Eremo Lutetiam primum, mox Romam proficiſcuntur .

NON dum alter alteri perſuaſerat : & hoc ſibi Deus reſeruarat: cum proxima nocte Angelus vtriq; in ſomnis per ſpeciem oblatus monuit, vt diſcederent, vitæ rationem mutarent, eam ad ſalutem communem conferrent, Captiuorum è maurorum manibus corpora, è poteſtate Diaboli animos liberarent. Irent Romam, Pontificem adirent, cauſas exponerent, normam, & leges viuendi ab eo peterent, cætera Deo committerent. Soluti ſomno, quæ in ſomnis viderant, inter ſe communicarunt; collatis omnibus nihil diſcrepare compererunt; ſed vt veritas eſſet conſtantior in tertium diem remiſerunt deliberationem, ſi fortè

pro-

proximis noctibus monita repeterentur. Ex voto contigit; iterum ac tertio eadem ſuggeſſit Angelus: eo dubitatio omnis præciſa, & deliberatio conſecuta. Diſceſſere non ſine magno ſenſu doloris ab illis rupibus, quarum Ciues fuerant, intra quarum viſcera cæleſtium cogitationum fęlices fętus conceperant. Itaque iis lacrymantes vale dixerunt. Viſum Ioanni antequam Romam iretur redire Pariſios, & vbi fontes inuenerat, inde riuos deducere: & quos primùm authores conſilij habuerat ad eos deliberata referre. Eo reuerſi primum ad Epiſcopum adierunt, qui re cognita, & memoria præteriti miraculi renouata, ad conſultationem ſancti Victoris Abbatem, & alios illuſtres, & probatos viros adhibuit. Statutum rem illam è Re Chriſtiana eſſe; decretum vrgeri eam, ac perfici Romæ oportere. Datæ communi nomine ad Pontificem litteræ, quæ priuatæ Aſcetarum narrationi publicæ authoritatis pondus adderent.

Alacriter in ſpem fęlicis euentus erecti ſuſceperunt iter; quo fidentiùs irent prouidit Deus, vt confecta iam magna ex

parte

parte via Angelus eis obuius eſſet, & ambos in propoſito confirmaret, recipiens Romæ rem illam Deo curæ fore; quare metu abiecto progrederentur, ac de euentu nihil ambigerent.

CAPVT XI.

Romam veniunt; Innocentium Papam adeunt; conſilium ſuum exponunt.

ANTEQVAM Romam peruenirent deceſſerat Cælestinus III. Papa, quo viuo propoſitum illud Ioannes ſuſceperat. Mors Cæleſtini in octaunm diem Ianuarij anno Dominicæ Incarnationis MCXCVII. inciderat; quo ipſo die octauo in eius locum ſurrogatus Ioannnes Lotharius Anagninus Cardinalis Diaconus, qui Innocentij III. nomen accepit. Decem formè poſt diebus ſub diem Cathedræ Romanæ memoriæ dedicatum, Eremitæ duo Romam ſunt ingreſſi. Ea ſolemnitate vti ad Presbyterij Ordinem ſuſcipiendum (erat

quippe tantum Diaconus) & primam celebrare Miſſam, Conſecratione, & Coronatione Pontificia in Antiochenæ Cathedræ diem delata, Innocentius voluit. Non erat occupatiſſimo Pontifici locus audiendi quemquam priuatum, nec Eremitis externis, & ignotis copia eum adeundi; elapſo biduo ad Pontificem aditus patuit; poſt pedum oſcula negotium expoſuerunt ſuum; dum commemorabant, commoueri primum Pontifex, & mirari; deinde ad ſe redire, & cogitabundus hærere, ceu ſecum rationes diſputaret. Sanè pridie ante edoctus à Deo fuerat de aduentu Eremitarum, vita, moribus, inſtituto, propoſito, atque viſa palàm, & audita coram cum acceptis conferebat. Nil tum ijs tamen ſignificauit; tantum benigne excepit, & reddi ſibi litteras poſtulauit, lecturumque ſe eas, & de re acturum promiſit, & interim in Palatio (Lateranenſe illud erat) habitare iuſſit, & quæ opus eſſent miniſtrari.

Ab ea die Ianuarij nempe vigeſima, ad nonas vſque Februarij apud Pontificem manſerunt.

CAPVT XII.

Innocentium ad probandum Redemptricis familię Inſtitutum Viſus inter ſacra peragenda iiſdem cum inſignibus, quibus cum olim Ioanni apparuerat Angelus, & vox de Cælo ab eo audita mouet.

VIX dum ſe receperat Innocentius, ſeque collegerat cum, aperuit quas ab Eremitis acceperat Epiſcopi,& Abbatum Pariſienſium litteras, & collatione omnium, quæ ipſe per ſpeciem viderat, coram audiuerat, & tum legebat diligenter facta, induxit in animum negotium ſuſcipere, ac expedire. Id ſummo ſilentio agi voluit. Patres igitur aduocauit, rem expoſuit, maturè expendi iuſſit. Varias ſuper ea conſultationes habuit, antequàm deliberatum eſſet publicas ſupplicationes, & ieiunia triduana populo indixit, diuinam varijs modis opem implorauit. Poſtquam de re tota deli-

deliberatum fuit, vocatis ad ſe pridie eius diei, qua die reſponſum daturus erat, Eremitis, bono animo eſſe iuſſit, ac orationes ijs in proximam noctem, & luſtrationem animarum, & expiationem culparum, & ſumptionem Euchariſtiæ in diem ſequentem præſcripſit; vt illuxit facturum ſolemniter ſe in Laterano Pontifex denuntiari iuſsit.

Conuenere primi eorum, qui tum aderant Cardinales, quibus comitatus in templum venit. Erant Ioannes Albanenſis, Ioannes Sabinenſis, Nicolaus Tuſculanenſis; Cardinales Epiſcopi. Centius Sanctorum Ioannis, & Pauli, Petrus ſancti Marcelli, Benedictus ſanctæ Suſannæ, Rogerius ſanctæ Anaſtaſiæ, Cardinales Presbyteri. Gregorius ſancti Georgij ad vellus aureum; Oddo ſancti Sergij, & Bacchi, Ioannes ſanctorum Coſmæ, & Damiani, Pelagius ſanctæ Lucinæ Ad ſepta Solis, Cardinales Diaconi; hos lectiſſimi quique ex omni ordine viri ſequebantur. Inter eos duo Eremitæ inuſitato oris, & corporis habitu eminebant, omnium ad ſe oculos inſolito ſpectaculo cōuertentes. Dies inuitabat, quæ anniuer-

ſaria

ſaria ſecundæ Diuæ Agnetis ſolennitatis Romæ 28. Ianuarij agitur. Sacris operatus eſt Innocentius, circumfuſa multitudine ingenti, quam & vetus in Martyrem pietas, & inclyta erga Pontificem Religio, & rei nouitas excitauerat. Ventum ad immolationem ſacræ Hoſtiæ, quam ſolemnibus, ac potentibus verbis mactauit; cumque eam demore elatis in altum manibus eleuaſſet, & oculos in ea defixos ferret, vidit imminentem Altari Angelum niuea amictum veſte, ſignatum pectus Cruce, Zonula recta purpureo, tranſuerſa cæruleo colore imbutà; Aſtabant lateribus duo, Maurus, & Chriſtianus, in quorum capita cancellata brachia demiſerat, ita ut manus decuſſatim poſitæ vtriuſque capillos tangerent, ſpecie commutantis. Attonitum primum ea res Innocentium nouitate tenuit, mox affecit ſuauitate; recoluit quæ ex Eremitis audierat, & ſimili ſe miraculo doceri ſenſit, Deum eius inſtituti, & eſſe, & videri velle authorẽ. Hac mente imbutus, vt ſacra peregit, ſeq; à precibus ſtatis expediuit, acceſſiri ad ſe Eremitas præcepit, & genua aduolutos ſua benignè excepit, & corã ſic allocutus eſt.

CAPVT XIII.

Innocentij ad Eremitas Patriarchas ſuper ſuſcepta redimendi Captiuos Prouincia plena Diuini ſenſus Oratio.

QVOD antea cogitaram, nunc certò compèri vos authore Deo hanc viuendi rationem ſuſcepiſſe, quam vos minimè inueniſtis, ſed inſtitutam, & inuentam à Deo accepiſtis. Manifeſtè vidi inter ſacra Angelum illum veſtitu niueum, Cruce partim flammeum, partìm liuidum tranſuerſis brachijs viuam Crucem præferentem, & Aſſertoris inſtar Redemptionis munus commutatione capitum ſignificantem. Agite verò vos ab Angelo, & habitum diſcite, & officium. Tres in eo colores, perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis ſunt ſymbola. Patrem candidus, colorum principium innuit; cæruleus, qui cælum, & mare refert, Filium, quo verbo conditum cælum; qui homo

factus in mare mortis immerſus eſt, repræſentat; niſi forte à liuido colore notatur idem, *Cuius liuore ſanati ſumus*. Purputeus igneo rubore ſuccenſus Spiritum Sanctum, vtriuſq; Patris & Filij amorem, cuius ignis eſt ſymbolum ſignificat. Ex primo vos candorem animi; ex ſecundo contemplationem cæleſtiũ; ex tertio charitatem in Deũ, & proximum diſcite. Iam vero impoſitum cum habitu redimendi Captiuos munus quanti ſit, ex eo agnoſcite, quod illud Chriſtus ſibi vendicauit, ac propter ſolum illud prædiſtinatus, & natus eſt Chriſtus, vt niſi Redemptor foret, Chriſtus non foret; quamquam ille vti innocens, & Sanctus natura nos peccatores à culpis aſſeruit, vos homines peccatis obnoxij à pęnis ſimiles vobis peccatores homines liberatis. Ea veſtri Ordinis prærogatiua eſt, vt ab ipſomet Deo ſit inſtitutus; ſolus quippe ille, qui primam Redemptionem Mundi excogitauit; hanc, quæ illius quodammodo appendix eſt, potuit, ac debuit inuenire. Teſtor me, cum ſacris operabar, & in oblatum mihi Aſſertorem Angelum intuebar, arcana quædam verba inaudiſſe, quæ menti im-

impreſſa ore nunc exprimam. *Hic eſt Ordo approbatus, nō à Sanctis fabricatus, ſed à ſolo ſummo Deo.* Eum vos à Deo acceptū tuemini, & propagate, ſocios parate ſimiles ei, qui primam Religioſi in Altari egit perſonam, cuius cum indueritis habitum, induite innocētiam. Non decet quem primum Angelus geſtauit, eum veſtitum culparum ſordibus inquinare. Ite igitur Angeli veloces, quos Angelus ducit, & docet, ad gentem conuulſam, & dilaceratam, auulſam à parentibus, & patria vi Turcarum, & diſcerptam, ac diuiſam per vrbes, & carceres Barbarorum, ac opera veſtra in libertatem aſſerite, ad patriam reducite, ſuis, & Chriſti Eccleſiæ reddite. Hoc vobis confirmo, dum corpora à Captiuitate Maurorum aſſeritis, & animos interdum à ſeruitute Dæmonum liberaturos. Quod ſi periculo id veſtro fieri contingat, eo verius Redemptores eritis, quod Chriſto ſimiliores euaditis, cui Redemptio ſanguine ſtetit; quem ſi vos dum redimitis effundatis, non iam Angelum, ſed Chriſtum exhibebitis.

Et quoniam hic dies Agneti Virgini duplici nomine ſacer eſt; ea que cæleſtis

agni nuptias ſanguine ſibi ſuo parauit; eo veſtram Familiam dotatam eidem Agno, qui tollit peccata Mundi, deſponſare volo Redemptori Redemptricem, ac eandem Agnetem Patronam ei in poſterum aſſigno; quam vos, & qui ſucceſſores veſtri fuerint ſingulari pietate colatis: memores eius auſpicijs Ordinem veſtrum inſtitutum.

His ad Eremitas dictis proferri iuſſit ex ante paratos veſtitus, & benedictione ſolemni, mixta cum prece, impertita, vt ſacros fecit, eos Eremitis impoſuit, qui niuea illa veſte bicolore Cruce pectus diſtinguente conſpicui, omnium oculos rapuere. Certè Innocentius cum aſpexit inditos, præter ſolidum corpus nihil inter eos, & Angelum, quem viderat, putauit intereſſe. Poſtea dimiſſa concione priuatis monitis inſtructos ornauit, & datis ad Epiſcopum Pariſienſem, Abbateſque litteris ad eoſdem illos cum mandatis remiſit, vt ab illis Regulam ſtatam, normamque certam viuendi acciperent, quam deinceps ſeruarent, quamque in methodum redactam ad ſe perferrent authoritate Apoſtolica rite confirmandam; facta inte-

terim poteſtate ſocios aggregandi, & Monaſteria condendi.

CAPVT XIV.

Decedunt Roma; veniunt Pariſios; obtinent Regulam; redeunt ad Ceruum frigidum. Prima ibi Ordinis fundamenta locant.

EREMITIS interim lacrymæ, & myxtæ lacrymis preces pro vocibus erant; vt Innocentius ſiluit ſuſpiria quoque miſerunt & in terram prouoluti pedibus Pontificis oſcula imprimebant, donec iuſſi auelli, & diſcedere, in cubiculum ſe ſuum receperunt, & noctem penè totam orando tranſegerunt. Poſtero die iter pedibus aggreſſi, mendicantium, vti ſolebant, more Pariſios rectò contenderunt; quò cum incolumes perueniſſent, ad Epiſcopum ſe contulerunt; qui auditis quæ Romæ acciderant, & lectis Innocentij litteris Abbatem ſancti Victoris, & quos idoneos

fore duxit, domum ſuam aduocauit; ac re patefacta, & diſcuſſa varijs conſultationibus adhibitis Regulam iuſtam, ad quam rationes vitæ dirigerent, accuratè formarunt, eamque ſcriptam Eremitis iam Patriarchis tradiderunt; ea cuiuſmodi fuerit ſuo loco aperietur.

Nihil gratiùs ſanctis Viris fuit, quam ſua omnia alieno arbitrio committere, & quam Regulam poſſent condere, eam tanquam inferiores accipere, quod inſigne eſt ſanctimoniæ argumentum. In alijs Religioſis familijs magnam ſibi partem conditores vendicarunt. Hæc Ideam à Deo, exemplum ab Angelis, habitum à Pontifice, Regulam ab Eccleſia accepit. Didicerunt eius authores prius obedire, quam imperare. Relicta Lutetia, remearuut Romam. Iniecta iter facientibus diuinitus mens ſolitudinem, cuius adhuc deſiderio tenebantur, inuiſere. Eo ſe alacres contulerunt; arida illa ſenticeta rigarunt lacrymis; ſaxis impreſſere oſcula; arbores cinxere amplexu; feras verbis inuitarunt amicis, atque vti dulcis eſt carum, poſtquam amittuntur, & iterum recuperantur, rerum memoria, ſic affecti

illo

illo aſpectu ſunt, vt affigi ſe locis, quibus adhærebant, inciperent, adeò vt, qui eos rupibus applicatos videret, alias rupes eſſe putaret; nec dubium quin eos rupes in ſinum acciperent, ſi ſentirent.

Igitur cum dimidium animi in loco dilecto eſſet, ac in ijs vnus animus ob charitatem ineſſet, decreuerunt, vt alter eorum ibi remaneret, & prima in eo loco fundamenta Religionis iaceret, vbi illa rudimenta poſuerat. Felici ſors manendi obtigit, quem iure quodam ſuo rupes vendicabant, quod diuturnior incola fuerat. Placuit tamen, vt ambo monaſterium inchoarent; vt quoniam ambo parentes erant, primum illum fœtum ambo formarent; locum eum deſignarunt, in quo Ceruum candidum Crucem bicolorem inter cornua præferentem viderant: cuius ſpecies tam erat altè impreſſa mentibus, vt in lapidibus etiam vellent incidere: atque vt auſpicia ſacra eſſent à Simone Meldenſi Epiſcopo (in huius territorio locus erat) ſacram eo in loco ædem ædificandi veniam ſupplices poſtularunt. Obtenta, condere cœperunt, & quoniam ad eos nõ pauci fama exciti confluebant,

circumcirca rudes ex aggeſtis truncis, tranſuerſiſque lignis tumultuaria opera, domunculas fabricarunt; vt ea ambirent, & ſepirent ædem, & accedentes vtcunq; exciperent. Horum nonnulli tacti deſiderio ſectandi nouam illam vitæ rationem, tyrocinium apud eos ponere voluerunt. His illis in mapalibus ſedes datæ; nobile ei loco nomen *Ceruus* fecit, non candidus à colore, nec ab æſtu calidus, ſed à fonte, quem æſtuans anhelabat, ſitiens quærebat, *Frigidus* nuncupatus. Felici omine, quod non ab ardore, quo vrebatur, ſed à remedio quo vtebatur, ideſt è refrigerio nomen duceretur. Itaque loco *Ceruo frigido* nomen deinceps fuit; nec iniuria candori facta, nam quod Ceruus niueus erat, à niue cognomen Frigidi haud inepte traxit.
Tam paruis initijs
tantus Ordo
ſtetit.

†

CA-

CAPVT XV.

Ad Vrbem Ioannes proficiſcitur: manet Felix. Domum latiorem ædificat acceptis à Gualterio, & Mathilda fundis. Socij aggregantur. Ipſe omnibus præficitur.

IOANNES vt vidit iacta Ordinis fundamenta, & Felicem idoneum ad eum tuendum ijs in locis, & in reliqua Gallia propagandum, & angeret eum cura Regulæ confirmandæ, nec morę pretium eſſe vllum, putaret; decedere, & Romam contendere ſtatuit, & quanquam grauis vtriuſqne eſſet ſeparatio priuato dolore Eccleſiæ vtilitati litandum fuit. Itaquc ſalutato Fęlice, & Socijs, qui iam tum erant confirmatis, in Italiam Ioannes iter intendit. Eo profecto creuit nouorum Comitum numerus, quos cum illæ aſperæ domuncularum anguſtiæ excluderent, opus fuit ampliora quærere. Obtulit ſpõte Gualterius Philippi Auguſti Regis

Hip-

Hipparchus, & Polemarchus, ad quem cum fama Religioſæ illius Familiæ perueniſſet villam ijs in vicino ſitam liberaliter donauit, & opibus iuuit, vt latiùs ædificarent.

Nec donum illud tam ex munificentia, quam ex Religione ortum. Ferunt quippe Gualterum in Hieroſolymitana expeditione poſt multa in bello illo ſacro præclarè geſta, dum ardentiùs pugnaret circumuentum à Turcis captum fuiſſe, & cum Alapiæ in vinculis eſſet præciſa ſpe libertatis ad preces verſum duorum, qui in Ceruo frigido ſubiecta ſibi regione Eremitarum, quos probè nouerat, meminiſſe, ac eorum opem imploraſſe: ac de repente eũ, qua ratione id fieret prorſus ignarum, Alapia in Prouinciã tranſlatum, & in oppido ditionis ſuæ Gandeluco Ceruo frigido vicino conſtitutum. Haud dubie quorum ſe precibus commendauerat ope Ioannis, & Felicis; quibus vt vicem merentibus redderet, ſitum in proximum fundum ijs addixit, & Religioſi iuris fecit: eò libentius, quod Redemptoribus donabat ab ea ſeruitute, quam ille duriſſimam ſuo malo expertus fuerat.

Ædificabatur latè, ſed ruditer; nempè ſpatia quærebant, ornatus ſolis ornandis animis intenti non curabant. Cumque adhuc concurrenti multitudini locus arctior, quam pro numero viderètur, Mathilda Comitiſſa Burgundiæ addito prædio ibidem ſuo ampliorem effecit; Arctum tamen domicilium illis, quorum charitas nullis terrarum finibus circumſcribi potuit; his duobus quę adiecta ſunt à Gualtero, & Mathilda prædijs, *Cerui* item *frigidi* nomen fuit. Omnis quippe illa regio vnius Cerui frigidi nomine appellari ſolita, quod eam Dignen paruus fluuius irrigabat, in quo ſe Ceruus ille cādidus proluebat, quod cum ſæpe ibi, ac varios, in quos paſcendo veniebat locos, accideret, fortuita ablutio toti illi tractui nomem dedit.

CAPVT XVI.

Offertur à Ioanne Innocentio Papæ Regula: ille ab hoc benignè excipitur, ea ritè dato in id diplomate confirmatur.

INTERIM Ioannes ſuſceptum Romam iter ſtrenuè vrgebat; eò cum exeunte iam anno MCXCVIII. initio Decembris veniſſet, Innocentio ſe cum litteris obtulit. Excepit Pontifex hominem beneuole; litteras legit attentè, Regulam mirificè probauit; & quod præſagiret animo, quanto illa Religio bono futura eſſet, ſolemni ritu quamprimum confirmare voluit. Diem præſtituit XVI. Kalendas Ianuarij. Is Ordinis Natalis fuit, eo ſuſceptus ab Innocentio, inſtitutum probatum, Regula confirmata, dato ad publicam fidem ſacro diplomate huiuſce tenoris.

IN-

INNOCENTIVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei.

Dilectis filijs Ioanni Miniſtro, & Fratribus Sanctæ Trinitatis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OPerante diuinæ diſpoſitionis clementia in ſedis Apoſtolicæ ſpecula conſtituti, pijs debemus affectibus ſuffragari: & eos, cum à charitatis radice procedunt producere ad effectum: præſertim vbi quod quæritur Ieſu Chriſti eſt, & priuatæ communis vtilitas anteferetur. Sanè cum tu dilectè in Chriſto Filij Frater Ioannes Miniſter, ad noſtram olim præſentiam acceſſiſſes, & propoſitum tuum, quod ex inſpiratione diuina creditur proceſſiſſe, nobis humiliter ſignificare curaſſes, intentionem tuam poſtulans Apoſtolico munimine confirmari; Nos vt deſiderium tuum In Chriſto fundatum, (præterquem poni non poteſt ſtabile fundamentum) pleniùs noſceremus, ad venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum, & dile-

dilectum filium Abbatem Sancti Victoris Pa*riſienſes, cum noſtris te duximus litteris remittendum: vt per eos, vtpotè qui deſiderium tuum profectiùs nouerant, de intentione tua, & intentionis fructu, ac inſtitutione Ordinis, & viuendi modo inſtructi, aſſenſum noſtrum tibi poſſemus ſecuriùs, & efficaciùs impertiri.*

Quia igitur (ſicut ex eorum litteris cognouimus euidenter) Chriſti lucrum appetere videmini, pluſquam veſtrum; volentes, vt Apoſtolicum vobis adſit præſidium, Regulam, *iuxta quam viuere debeatis, (cuius tenorem dicti* Epiſcopus, *& Abbas ſuis nobis incluſum litteris tranſmiſerunt), cum his, quæ de diſpoſitione noſtra, & petitione tua, (fili Miniſter) duximus adiungenda, præſentium vobis, & ſucceſſoribus veſtris authoritate cōcedimus, & illibata perpetuò manere ſancimus. Quorum tenorem, vt euidentius exprimamus, inferius duximus adnotari.*

In nomine Sanctæ, & indiuiduę Trinitatis. Fratres domus Sanctæ Trinitatis, & Captiuorum *ſub obedientia* Prælati *domus ſuæ, qui Miniſter vocabitur in caſtitate, & ſine proprio viuant &c. Datis* Lateranæ 16. Kalend. Ianuarij *anno* Incarnationis *Dominicæ* 1198. *Pontificatus noſtri anno primo.*

San-

Sanxit præterea Pontifex, vt Ioannes Familiæ totius Princeps, & caput eſſet, idque perſpicuè ſcripto inſeruit; atque vt ab Vrbe Roma illius ſe inſtituti virtus diffunderet locum domicilio aſſignauit celebrem in Monte Cælio Eccleſiam Sancti Michaelis, & Thomæ à Formis (aquæ ductus hi ſunt) dictam, Ioanni, ac eius inſtituti ſocijs habitandam; & quod ſciret redemptionis officium, quod profitebantur, magno ijs ſtaturum, nec poſſe ſine magnis incommodis, ac expenſis obiri, & quæ ab ijs poſſidentur, ea in commune Chriſtianæ Reipublicæ bonum collatum iri, ſacro illos patrimonio locupletare voluit, plurimis, vnde copioſos fructus perciperent, prædijs attributis. Extat exemplum huiuſce donationis, quæ ampliſſima fuit, ac ne inſolens videretur, eam Cardinalibus primum probari, & ſubſcriptis nominibus firmari voluit; certauit liberalitas Pontificis cum parſimonia Ioannis, qui grauatè quæ vltro donabantur, accepit; accepta cuſtodiuit magis, quam poſſedit, nec tàm bonorum Dominus, quàm adminiſtrator deinceps fuit.

Ca-

CAPVT XVII.

Incipit Redemptoris munus exercere Ioannes: Socios ad Marrochij Regẽ mittit: ad hunc dat Litteras Innocentius: & via ad Redẽptiones aperitnr.

BREVI, & liberalitatis ſuæ Pontifex fructum tulit: & Ioannes charitatis ſuæ ſpecimen præbuit. Nam quarto vix dũ elapſo menſe Ioannes collecta ex prouentibus idonea pecunię ſumma, primam captiuorum redemptionem ſuſcepit, & duobus ad hanc conficiendam Religioſis deſignatis Pontificem adijt, & re communicata ingentis eum lætitiæ, ac ſpei impleuit; voluit in partem operis venire Innocentius, & litteras ad Regem Marroquiorum Miramamolinum è cuius regione chriſtiani captiui petebantur, dedit; quarum hic exemplum iuuat afferre, quod ex eo appareat, quàm ſit proprium hoc munus inſtituti Ordinis, & quam il-

lud acceptum Pontificibus eſſe debeat,& documento conſtet non eſſe alienum à sũmis Eccleſiæ Pontificibus cauſam Eccleſiæ apud Paganos, & Hæreticos agere, nec tam eſſe timendum authoritati ſuæ, quam cauendum, ne ſtudio dignitatis tuẽdæ deſint officio charitatis. Litteræ eiuſmodi fuerunt.

Innocentius Papa III. Illuſtri Miramolino, Regi Marrochetano, & ſubditis eius ad veritatis notitiam peruenire, in ea ſalubriter permanere.

Inter opera miſericordiæ, quæ Ieſus Chriſtus Dominus noſter fidelibus ſuis in Euangelio commendauit, non minorem locum obtinet Redemptio Captiuorum. Vnde perſonis illis, quæ circa talia occupantur, fouorem debemus Apoſtolicum impertiri. Sanè viri quidam, de quorum exiſtunt numero præſentium portitores, nuper diuinitùs inflammati Regulam, & Ordinem iuuenerunt, per cuius ſtatuta tertiam partem prouentuum omnium, quos vel nunc habent, vel in futurum poterunt obtinere, in redemptionem debent expẽdere captiuorum, & vt melius valeant ſuum propoſitum adimplere, cum facilius per com-

mutationem, quam per redemptionem de captiuitatis ergaſtulo valeant liberari; vt Paganos captiuos redimant eſt conceſſum; quos pro liberandis Chriſtianis debeat commutare. Cæterum, quoniam opera, quæ præmiſimus, & Chriſtianis expediunt, & Paganis, huiuſmodi vobis duximus per Apoſtolicas litteras intimanda. Inſpiret autem vobis ille, qui via, veritas eſt, & vita, vt agnita veritate, quæ Chriſtus eſt, ad eam venire quantocyùs feſtinetis. Datum Laterani 8. Idus Martij Pontificatus noſtri anno II.

CAPVT XXIIII.

Cerui frigidi Religioſus ardor. Ioannis eximiæ virtutes domi; expeditiones ſacre foris recenſentur.

CÆTERVM Romæ Ioannes corpore præsẽs erat, ſed anima per vniuerſum orbem vagabatur, ſtudio conquirẽdi, ac liberandi eos, qui in Barbarorum poteſtate erant. Sed cogitationem in Gallia, curamque defixerat. In Felicem, & Ceruum frigidum intentus.

tus. Inſolitus ſocij, & loci amor mentem eò conuertebat; nec minùs Felix Romæ habitabat animo, & curas cum Ioanne partiebatur. Contulernnt per litteras ſtudia; accepto quid vtrobique ageretur, cum res optimè procederet effusè ſunt lætati; nam in Ceruo frigido calebant ſtudia virtutis domeſticæ, & redemptionis alienæ; creſcerat numerus ſociorum, & noua domicilia ædificari cæpta; viri copioſi, ac pij facultates auxerant; quibus redemptionis opus vrgeretur. Hæc ad Pontificem Ioannes deferre, & ingenti gaudio perfundere, eiuſque in ſe gratiam imprudens augère.

Id mirum in Ioanne, nihil in tantis occupationibus de ſtudio orationis, nihil in tantis laboribus de aſperitate vitę remiſiſſe. Diù, noctuque meditatione rerum diuinarum horas plures, ſtatas præcationibus ſolemnibus impendere, cilicio macerare. Corpus, flagellis cædere, inædia, & vigilijs penè conficere, humi, vel cum molliter cubandum erat, ſuper tegetem ſe proſternere. Hæc magna, ſed illa maiora. Altiùs in ſe cogitationem demittere, periculum ſui facere, ſcrutari latebras

animi, culpas inueſtigare, rationem à ſe ſuì ſeuerè petere, ſi quid deliquiſſet, acerbe punire; affectiones, & motus, quibus humana obnoxia eſt natura obſeruare, quoſdam præoccupare, ne exiſterent, ſi qui aut obreperent, aut prorumperent, eos conprimere, ſequè in officio continere. His præſidijs mirum non eſt Ioannem integritatem corporis illæſam, & florem virginitatis illibatum conſeruaſſe, quemadmodùm graues eius familiæ viri ſcriptis de eo ſuis memorię prodiderunt.

Erat Ioanni excelſa indoles, magnus animus, verſatile ad omnia, & felix ingenium; quas dotes quamquàm demiſſio, & modeſtia obtunderet, illæ tamen interdum, vel eo inuito per ſigna emicabant. Inciderat in Pontificem acutum, & prouidum; obſeruauit hic Ioanni indolem præclaris rebus gerendis aptam, animaduertit ſtudiosè illam ab eo occultari: hoc auxit exiſtimationem: & ſtimulos addidit cupienti eum ad magna, & publica munia transferre. Sed occultè id, ac eo penè imprudente agendum. A ſacris eum ſuis (capellanum vocant) inſtituit, ac ne inſolentia ſuſpicionem moueret ſocium

Si-

Simonem eiuſdem inſtituti hominem adiunxit,neutrum ab officio redimendi captiuos auocauit:quæ illi commiſerit munia obeunda Pontifex , quòd extraordinaria fuerint, cum propria Ordinis percenſuerim , commemorabo.

Ad redemptionem captiuorum vehementer incubuit; nullis incommodis, expenſis vè pepercit. Suos ád id , & verbis, & exemplo incitauit. Sæpè ipſe Mauritanos portus adire, Tunetum, vbi magna tunc vis captiuorum erat , frequentare. Indè in Hiſpaniam, quam adhuc ex parte Mauri occupabant , traijcere, multos ſeruituti eximere ; conſtat eum ambas Hiſpanias peragraſſe, & multos ibi redemptores Chriſto peperiſſe , monaſteria fundaſſe; quorum plurima eo authore gloriãtur ; imò de antiquitate inter ſe contendunt,quod ſingulæ Prouincię ſibi perſuadeant , quæ illum prima exceperit , eam cæteris nobiliorem fore. Inter Valentiã, & Aragoniã,Burgos, & Toletũ aliaſq;Vrbes religioſa eſt , & pietatis plena contentio ; Certè ſanctum illius cum inſigni habitu inſtitutum ; omnes fermè,viuo eodem,Prouinciæ in Europa ſunt amplexæ.

Nam vti Ioannes ex Italia in Hiſpanias inuexit, ita Felix è Gallia in Germaniã, Angliam, Scotiam, Hyberniamque ſuorum, quos eò miſit opera, introduxit. Reſpirare oppreſſa miſera ſeruitute Chriſtiana cæpit Reſpublica. Innocentius ipſe ad liberanda ſacris armis Hieroſolyma animum adiecit. Indixit Concilium Lateranum, & habuit; & piam illam expeditionem decreuit; magna eſt in eo mentio de captis, eorumque calamitatibus; quorum commiſeratio inceſſerat ex quo Ioannis propoſitum agnouit. Raro quippe alius Pontifex tanto ad liberationem captiuorum ſtudio incubuit.

Et quidem ſuſceptum illud à Ioanne munus inſigni Deus miraculo confirmauit. Romam ei ex Hiſpania, & Gallia poſt cõditas ijs in Regnis, & ſtabilitas, recognitaſquè Prouincias reuerſo, Energumenus mirè à Dæmone, diùque vexatus vſu, & aurium, & vocis amiſſo, de cuius ſalute deſperatum, liberandus offertur. Comperto quo laborabat malo Ioannes benignè ſuſcipit: & preces verſus cælum primùm, mox eum intuitus verbis amicis, & pijs compellat. Sed ille ſaxeus indurue-

rat.

rat. Tunc Ioannes opere voces adiuuit, & anteriori habitus faſcia, cui aſſuta Crux inerat prolata, eam ori Energumeni reſtitantis applicuit: Et Sanctiſſimæ Trinitatis nomen inuocauit, ac redimentis more benedictionem impertijt. Tandem tenacem illius corporis malignum ſpiritũ, vt auelleret imperio vſus, cædere inde, & abire, ac tutum iuſſit. Senſit in voce nutus diuini pondus Diabolus, frendenſque, ac fremens indignantis inſtar receſſit, & liberum hominem reliquit, & Ioannem redemptorem probauit. Magna inde, & authoris, & inſtituti exiſtimatio conſecuta. Nemo deinceps fuit, quin eius ſacri muneris, & adiutor, & parciceps eſſe vellet.

CAPVT XIX.

Multis, & grauibus; dùm Redemptionem Captiuorum exercet Ioannes pericu-lis ſe obijcit, & editis miracu-lis diuinitùs ab omnibus liberatur.

IOANNIS Deus in ſuſcepti muneris exercitio, & periculis probabat conſtantiam, & miraculis commendabat pietatē. Semel contigit Tuneti, cum pro Redemptis Fidelibus prætium ſolueret pecunijs deſtitui, & grauiter periclitari. Ferunt eum à Saracenis Barbaris immaniter cęſum,& tantùm non occiſum. In hoc diſcrimine Beatæ Virginis Mariæ opem implorauit, & illius quam ſecum ferebat in ſinu effigiem proferens quaſi oppignerabat, cum ſubitò tanta vis nummorum affluxit, quanta ad ſummam, quæ deerat implendam ſatis erat. Sanè vbi cor eius, ibi theſaurus fuit; nempe in Virgine.

Ite-

Iterùm cùm quos, iuſta repræſentata pecunia, liberarat, eos in nauim impoſuiſſet, ac cæteros, qui manebant piè conſolaretur, ac bono animo in reditum vſque ſuum eſſe iuberet, irritati Mauri vela antequàm è portu ſolueret, diſruperunt, vt aut manendi in portu, aut naufragandi in Mare neceſſitatem imponerent; ipſe ad Deum conuerſus fuſis precibus tantùm concepit fiduciæ, vt demptum humeris pallium nudis nauigij malis impoſuerit, & velificarit è portu, ac intra ſex horas è Tuneto Romam enauigarit.

Rurſùm, cum aliam Redemptionem Valentiæ egiſſet, & ob auri penuriam in magnum periculum incideret, Miſſam de B. Virgine celebrauit, qua finita, iuxta Altare tantam pecuniam, quanta ad Redemptionem perficiendam deerat, inuenit.

Iure Virgo iuuabat eum, qui Redemptoris aſſumpta perſona Seruatoris Ieſu Filij quodammodo vicem gerebat; nec captiuos duntaxat è ſeruitute, ſed homines interdum è Dæmonis poteſtate libeberaret.

Quæ extra ordinem à Ioãne geſta ſunt,

eo-

eorum præcipua ſunt duo: alterum ſub initium Pontificatus Innocentij, alterum ſub finem. Aurcam illam Innocentij ætatem fuiſſe aiunt plerique noſtratium, ſed cum homines ea tulerit, non potuit non vitiorum ferro inquinari. Magna erat in Regnis Dalmatiæ, & Diocliæ morum corruptio, quæ ad Sacerdotes quoque peruaſerat, quin & ſummos Sacerdotes, ideſt Epiſcopos, corripuerat. Vulcanus melioris vitæ, quàm nominis Rex imperabat. Hic cum graſſantem luem illam morum, & ſacra inuadentem videret, religione motus, Innocentium per litterras orauit, vt ad ſe Legatos mitteret, qui indicto eius nomine Concilio, Epiſcopos congregaret, & de ſumma rerum conſultarent, nam licentia viuendi doctrinam quoque corruperat. Annuit Pontifex, eamque Prouinciam Ioanni Capellano iam inſtituto impoſuit, eique vnum è fratribus ſocium dedit, cui Simon nomen erat. Hi Dalmatiam cum veniſſent, Regemque Innocentij verbis ſalutaſſent, coacto ſeptem Epiſcoporum, & Archipreſbiteri vnius Concilio, cauſam Eccleſiæ ſic egerunt, vt peſtilentiam illam paula-

tim

tim ſerpentem compreſſerint, & rectam morum diſciplinam tradiderint, doctrinamque Catholicam, vbi ſylueſcere cum vitijs cæperat, euulſis noxijs ſtirpibus perpurgarint, vbi minimè peruenerat, illam de nouo plantauerint, & Regnis illis ſalutem, lucemque attulerint. Quod ex Actis Concilij, & Regis ad Innocentium datis litteris conſtat. Subſcriptiones Legatorum extãt ante nomina Epiſcoporum, ac nè quis dubium mouere poſſit *Fratrum* appellationem nominibus proprijs præfixã habent.

Vt ex Tom. 1. Epiſt. Innoc. III. lib. 2. in ſequentibus dabimus.

IN-

INNOCENTIVS PAPA III.

Ioanni Capellano, & Simoni Subdiacono noſtris Apoſtolicæ ſedis Legatis.

A Apoſtolicæ ſedis authoritas, quæ per diuerſas mundi partes plenitudinem obtinet poteſtatis, illius ſequens veſtigia, qui Beato Petro, Paſce oues meas, tertio replicauit, in partem ſolicitudinis viros conuocat prouidos, & diſcretos: qui gregem Domini, & pabulo ſalutis reficiant, & viam eis æternæ fælicitatis oſtendant. Ad quorum ſiquidem auxilium, & iuuamen, vt Eccleſiaſticæ poteſtatis authoritas in ſua ſemper maneat firmitate, cum requirit neceſſitas, aliquos à ſuo latere dirigit, & tranſmittit, quibus legationis iniungit officium exercendum.

Hac itaque conſideratione diligenter inducti, & chariſſimi in Chriſto filij Vulcani illuſtris Regis Dalmatiæ, & Diocliæ precibus inclinati; qui vt ad eos Legatos mittere deberemus inſtantiſſimè poſtulauit, Vos, de quorum probitate Nos, & fratres noſtri plenam fidu-

ciam

ciam obtinemus, ad Dalmatiam, & Diocliã Prouinciam duximus tranſmittendos, in Prouincijs ipſis vobis authoritate præſentium Legationis officium iniungentes, vt quæ inueneritis corrigenda corrigatis, deſtruatis, & euellatis ſuperflua, & nociua; ædificetis, & plantetis vtilia, & honeſta, quatenus cum Domino dicente reddetis talenta, vobis reddatis credita duplicata; à nobis, & fratribus noſtris valeatis in domino multipliciter commendari.

Datum Lateran. VI. Idus Ianuarij.



IN-

INNOCENTIVS PAPA III.

Regi Dalmatiæ ſcripſit epiſtolam, videlicet;

Vulcano illuſtri Regi Dalmatiæ, Diocliæ, &c.

VT euidentius Euangelica doctrina pateret, & in omnem terram, iuxta verbum propheticum, ſonus Apoſtolorum exiret, & in fines orbis terræ verba diffunderentur ipſorum, noſter Dominus, & Magiſter, qui præbuit nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, diſcipulos ſuos per vniuerſas mundi partes ad prædicandum dixerit, &c.

Intelligentes igitur per litteras tuas noſtro Apoſtolatui præſentatas tuæ deuotionis ardorē, quod videlicet Romanam Eccleſiam matrem tuam ſuper omniaꝗ poſt Deum diligere, & honorare proponis, & mandatis noſtris omnimodis inhærere, iuxta quod à nobis tua nobilitas poſtulauit, Dilectos Filios Ioannem Capellanum, & Simonem Subdiaconum noſtros, de quorum ſcientia, & probitate Nos, & fratres noſtri plenam fiduciam obtinemus, de fratrum no-

noſtrorum conſilio ad partes tuas duximus dirigendos: per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus eos tanquam Apoſtolicæ ſedis Legatos benigne recipias, & honeſtè pertractes: & quæ ſecundum Deum in partibus ipſis duxerint ſtatuenda ſuſcipias humiliter, & ſine refractione conſerues: vt cum ad nos domino dante redierint, nobis referre valeant tuæ deuotionis effectum, & Romana Eccleſia tuis efficacius poſſit intendere incrementis. Nos enim eis dedimus in mandatis, vt Apoſtolicam in te confirmantes doctrinam, reforment quidquid inuenerint reformandum, & tanquam membra capiti Apoſtolicæ ſedi conformēt; in ipſius deuotione pariter, & obedientia ſolidantes.

Per quos etiam pallium, plenitudinem ſcilicet pontificalis officij venerabili fratri noſtro Dioclienſi Archiepiſcopo tranſmittimus, vt in partem noſtræ ſolicitudtnis euocatus, ſine defectu valeat officij ſui debitum adimplere. Dat. vt ſupra.

Scriptum eſt ſuper hoc in eumdem ferè modum vxori eiuſdem Regis; Et nobili viro Seruię magno Iupano, & vxori eius; necnon Archiepiſcopo Dioclienſi, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis.

Rex

Rex Dalmatiæ Innocentio III.
Reſpondit.

Beatiſſimo, atque Sanctiſſimo Patri, & Domino Innocentio, Dei gratia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, & Vniuerſali Papæ, Vulcanus eadem gratia, Diocliæ, atque Dalmatiæ Rex ſalutem, & deuotionis affectum.

VEnientibus ad noſtram præſentiam Domino Ioanne Capellano, & Domino Simone religioſis, & diſcretis Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ ſedis legatis, amodo iucundati ſumus, quia ſicut Solis ſplendor in virtute ſua radians totum orbem videtur illuſtrare, ita illorum ſancta, & ſalubri prædicatione totum Regnum noſtrum creditur fore illuſtratum. Vndè meritò dicimus; Viſitauit nos Oriens ex alto. Illorum itaquè probitate, & ſcientia nos informati, Deo, & Paternitati veſtræ inumeras grates rependere curamus: quia tales ad nos miſiſtis, quales in voto ſemper ha-

habuimus ſuſcipiendos, diuino munere prædi-tos, quia omne datum optimum, & omne do-num perfectum deſurſum eſt.

Præſentatis igitur litteris veſtris, intelleximus quia poſtulationibus noſtris Apoſtolatus veſtri beatitudo miſericorditer acquieuit. Vnde nos cum magna animi deuotione præcepimus, vt per totum Regnum noſtrum omnia, quæ ſecundum Deum ſunt, ordinent, & confirment. Quæ autem contraria ſunt, iuxta illud propheticum euellant, & deſtruant. Accedentes itaque ad locum, vbi antiquitùs concilium celebrari ſolitum fuit, Sanctam Synodum celebrare ſtuduerunt, de vitijs, & virtutibus ſubtiliter differentes. In communi Deo, & Beatiſſimæ Mariæ perpetuæ Virgini, & Beato Petro Apoſtolorum Principi, necnon & Apoſtolatui veſtro laudum præconia perſoluentes, &c.

Reſpondit etiam Innocentio Magnus Iupanus; & Ioannes Archiepiſcopus Diocliensis, referens gratias pro accepto pallio, & Legatos laudans, poſt cuius litteras immediatè ponuntur Acta Concilij, in quo plura ſtabilita fuerunt decreta, quorum vnum ſolummodo, alijs breuitatis cauſa omiſſis, recensère contentus ero.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Nos Ioannes Capellanus, & Simon Subdiaconus Domini Innocētij Papæ III. Apoſtolicæ ſedis Legati, ad euellenda nociua de agro Dominico, & virtutum plantaria vtiliter inſerenda, videntes multa in Clero, & populo Dalmatiæ, & Diocliæ corrigenda, de Sanctorum Patrum Concilijs decreta præſentia duximus innouanda.

In primis itaque decernimus, vt nullus Epiſcopus aliquem ad ſacros Ordines per pecuniam promouere, ſeu Eccleſiaſtica beneficia, alicui, prætio interueniente, concedere præſumat.

Cum enim Dominus præceperit Apoſtolis, gratis accepiſtis, gratis date, & Spiritus Sancti gratia venalis eſſe non poſſit, quæ in ſacris confertur ordinibus, graui puniendus eſt pœna, qui Spiritus Sancti dona venalia exponere non veretur. Quo circa præſenti decreto ſtatuimus, vt quicumque Epiſcopus hoc agere conuictus fuerit, omni Eccleſiaſtica careat dignitate: & ſine ſpe reſtitutionis tam ille, qui dederit, quàm ille, qui ſcienter ſacros Ordines pecunia interueniente receperit, perpetuò deponatur, &c.

Ego Frater Ioannes Domini Papæ Capellanus Apo-

Apoſtolicæ ſedis Legatus ſcripſi, & ſupſcripſi.
Ego Frater Simon Domini Papæ Subdiaconus, Apoſtolicæ ſedis Legatus ſubſcripſi.
Ego Ioannes Dioclenſis, & Antibarenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ego Dominicus Archipresbyter Arbanenſis ſubſcripſi.
Ego Petrus Seuarienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ioannes Pelatinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Petrus Aruaſtinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Dominicus Soacinenſis Epiſcopus ſubſcripſi
Ego Natalis Dulcinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Theodorus Sareanẽſis. Epiſcopus ſubſcripſi

Hinc certe, quàm fuerit eximia Ioãnis virtus apparet, quòd illius vſuram tam citò Pontifex exegit.

Non minus clara, & vtilis altera ei ab eodem Innocentio impoſita Inquiſitoris Prouincia. Quippe cum hæreſis Albigenſium recens exorta in apertam Eccleſiæ perniciem graſſaretur, & multos inficeret, ac niſi ſiſteret, plures infectura videretur, viſum eſt Pontifici obſtare principijs, & certos quoſdam viros doctrina, & moribus conſpicuos deligere, quibus mandatum, inquirere diligenter de authoribus primùm, tùm de ſequacibus, eoſque no-

tare, & ſeuerè corripere, errores prodere, ad eos ciurandos monere, ac propoſita anathematis pęna compellere; qui dãnarent, eos ad communionem Catholicam recipere, qui adhęrerent, in eos animaduertere. Hos Inquiſitores ab officio dici voluit. Nec dubium quin ſi ei malo pares medici quærendi erant, hi duo potiſſimum eligendi eſſent, qui magna tunc in Europa opinione virtutis florebãt; quãtum vero illud fuerit, argumento ſit Concilium Oecumenicum Laterani ab Innocentio celebratum, in quo illa hęreſis Albigēſium proſcriptis authoribus eſt damnata.

Notius iam erat nomen Ioannis, quàm vt vnius Prouincię, aut Regni terminis contineretur. Cumque fama impleſſet Galliam, deſiderauit Philippus, qui tum regnabat Auguſtus, illius operam, in arduis, quæ illi inciderunt rebus componendis. Iuſtum videbatur exigere, cùm Ioannes Gallus eſſet; itaque Regis mandato grauiſſima negotia ſuſcepit, & confecit, quæ haud mediocrem Regno vtilitatem, & Regi gloriam attulerunt.

Nec factis ſolùm Ioannes, ſcriptis quoque

que inclaruit. Edidiſſe Commentarios in quatuor libros ſententiarum; Apologiam Fidei aduerſus Vualdēſes; Tractatus quoſdam Aſceticos, Paræneticos ſcripſiſſe, nonnulli eius Ordinis Authores tradunt. Mirum eſt homini occupatiſſimo ad id otium fuiſſe; verum commentarios iuuenem Pariſijs elaboraſſe dedicatio operis facta Mauritio à Soliaco Epiſcopo ſuadet; cætera horarum ſucciſiuarū fructus Opuſcula extiterunt. Cum præſertim aſſidua Oratio in eas Commentationes eruperet, quod ſint ſorores duæ Oratio, & Commentatio, quæ ſe inuicem iuuant, ac tuentur. Illuſtre ei teſtimonium doctrinæ reddidit Philippus Auguſtus, cum Theologum ſibi domeſticum adſciuit, vt Authore, & Conſultore Ioanne, nihil præter conſcientiæ leges, vel ſuſciperet, vel præſtaret. Tanti Regis Conſiliarius viuum eſſe oraculum debuit, & qui iura foris dabat, domi eum cortinam habere oportuit; illum igitur Theologi nomine ad Lateranenſe Concilium deſtinauerat, ſed morte præuentus illud munus obire non potuit.

CAPVT XX.

In morbum incidit Ioannes. Præparatur religioſè ad mortem. Obit feliciſſimè. Patrat mira; effertur; ſepelitur; Epitaphio de mandato Innocentij decoratur.

CONFECTO quinquageſimoquarto annorum curriculo metam Ioannes attingebat. Biennio ante præſagia mortis habuerat; cum defunctum Socium Cariſſimum Fęlicem accepiſſet, quo nuntio eum cępit dolorem, vt ex illius maximo ſenſu vicinam ſibi eſſe mortem conijceret; & quidem deſiderio cæleſtis patriæ teneri deinceps cæpit: eos ſtimulos Felicis memoria infixos animo decedentis reliquerat. Obſeruatum eſt toto illo biennij ſpatio ita vixiſſe, vt quaſi in limine æternitatis poſitus humana à tergo relinqueret, eaque non niſi auerſus reſpi-

ce-

ceret, quòd rectè immòrtalia intueretur. Hinc lachrymæ, hinc ſuſpiria, hinc querelæ, detineri ſe in ergaſtulo corporis, mortalitatis vinculo præpediri, alas ſibi ad euolandum præcidi, tàm quod viueret affligi, torqueri, & cruciari, quàm cæteri, quod morituri ſunt pauere, dolere, ac queri ſolent, ſic quippe vixerat ille, vti exul à Cælo, hi ſic viuunt, vti addicti terris. Magnum eo Ioannes, biennio virtutum compendium fecit; ceu nihil anteactæ vitæ tempore profeciſſet, ita omnes animi ad profectum neruos intendit; nouas excogitauit merendi vias, miras Deo placendi excogitauit artes; acutè pius, ſubtilitèr religioſus: ſed vix addere quidquam poterat; præoccupauerat penè omnia ardens ſpiritus; itaque ſtudium tantũ, & deſiderium augere potuit, plura quàm ſoleret, præſtare vix potuit; ergo repetere, quæ antea egerat neceſſe fuit: erat tamen maior in agendo vis; apparebat in eo quædam feſtinatio, vtì properantis, & ſtudium plura cupientis.

Tranſacto biennio in febrim incidit; ſenſit extremam fore, nec diuturnam; ita ſe comparauit ad mortem, ac ſi omnibus

indigeret ſalutis præſidijs, moriebatur timidior, vt tutiùs moreretur; luſtrauit diligenter animum, confeſſione crebrò expiauit; Euchariſtiæ viaticum ad iter illud nouiſſimum de manu Fr. Orberti Angli ſumpſit. Oleo Sancto ad luctam extremam vngi ſe fecit; Fratrum, ac Filiorum ſtipari ſe cætu, & ſolemni ritu orante; quorum ille intermixtas lachrymis voces, ſuis item præcibus nunc præibat, nunc ſequebatur. Præſenſit triduo antè mortem; iuſſit propè ſepulchrum lectum ſibi, hoc eſt tegetem ſuam ſterni, & circumponi ea, quibus macerare ſolebat corpus inſtrumenta, cilicium, catenas, flagra, manicas, pedicas, tegumenta oculorum, obturamenta oris, & huiuſmodi, quæ ad cruciatum corporis excogitauerat, ijs cũ lachrymis valedicere, ſuis commendare; & imminente iam morte, inquit,

Filij Cariſſimi, èn hæreditas, quam vobis teſtamento reliquo; ſeruate, memores mei. Decedo, non ſine deſiderio veſtri, ſed me cõſolor, quod præcedo, breui ſecuturos, quid enim eſt in hac vita diù? Chriſtus me vocat; Ei vos ego & nunc commendo, & coràm in ſuperis, ſi eò me hic

ſan-

ſanguis (crucifixus erat præ manibus) immerentem perduxerit, commendabo: Vos veſtris me ſacrificijs abeuntem, & precibus proſequimini. Perſtate in propoſito; opem ad id gratiæ, implorate. Perſeuerantibus corona donatur; at ipſamet perſeuerantia donum eſt Dei; eam vos ab eo pulſando, petendo impetrabitis; iam vox me deficit. Paternam vobis benedictionem impendo. Valete. Et ad Crucifixum cōuerſus, dum conſueti pſalmi canerentur ad illum verſiculum. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Animus cæpit à corpore auelli; idque ex anhelitu grauiore, & recedentium oculorū albore apparuit, ſed mox ad ſe reddijt, & ore ad Chriſti latus applìcato tantiſper ſpectauit, donec Canticum Benedictus ad eum eſt locum canendo deductum. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*, quo tanquā nuntio ſalutis accepto, expirauit.

Lachrymas fratrum erumpentes tenuit ſtupor; nam ſubitò ex illius demortui vultu eximius quidam ſplendor emicuit, qui oculos recreauit, & animos ſpe impleuit, quippe lux illa ſignum erat gloriȩ,

qua

qua ſpiritus fruebatur. Vixit annos 53. menſes 5. dies 24. Deceſſit 17. Decembris die, anno 1213. decimo ſexto poſtquam fundauerat Ordinem anno. Manſit in eo lectulo prope ſepulturam corpus eodem in vultu, vigore, qui viuo fuerat. Fama viros plurimos exciuit, ac miſeros in primis, & pauperes, quorum pater erat; inter eos fœmina vna brachium manca, illius vſum recepit, & quatuor cæci, cum faciem cadueri admouiſſent, lucem indè traxerunt. Eò magis creuit multitudo. Iam Cardinales confluebant. Ipſe Innocentius Pontifex motus eſt, & quem viuum vnicè dilexerat, videre mortuum voluit; Cumque vidiſſet magno ſenſu pietatis affectus, permiſit quatuor dies ſic expoſitum iacere, quibus tranſactis funus indixit, & ſepulchrum nobile, ac editum eo in templo Sancti Thomæ de Formis fabricari iuſſit. Elatus eſt ſolenni pompa, ipſomet Pontifice, ſtipante Cardinalium cætu, committante funus, donec ſepulchro illatum cadauer cauſam morādi abſtulit. Iuſta ei ſunt ante, & poſt eam diem ritè perſoluta. Impreſſum Ioannis nomen

In-

Innocentius in pectore retinebat: ac nè illud mortalitate periret, æternare quo poterat modo ſtatuit. Iuſſit ergo ei marmoreum ſepulchrum erigi, ac vt in edito ad ſpectaculum eſſet duabus columnis ſuperimponi, & ſepulchrali marmori breue epitaphium incidi, quod adhuc conſpicitur. Sic.

Anno Dominicę Incarnationis Milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ Tertij anno primo, decimo quinto Kalendarum Ianuarij. Inſtitutus eſt nutu Dei Ordo Sanctę Trinitatis, & Captiuorum à Fratre Ioanne ſub propria Regula ſibi ab Apoſtolica ſede Conceſſa. Sepultus eſt idem Fr. Ioannes in hoc loco anno Dominicæ Milleſimo, ducenteſimo, decimo tertio. Decēbris vigeſima prima.

Poſt

Poſt obitum ingens illius reliquijs habitus honos; claros eſſe oportuit cineres, à quibus oleum diù manauit, nè quis putaret extinctum lumen, quod oleo nutriebatur.

VITA
S. FELICIS DE VALOIS
Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum Primi Patris, & Fundatoris.

CAPVT I.

Ex Parentibus Regiæ Gallicę ſtirpis Ambiani naſcitur Felix auſpice Deipara: ſacro fonte luitur. Hugo appellatur. Poſtea Felix nuncupatur.

FELIX Gallia Regibus è frondoſo Regię ſtirpis trunco Felicem hunc ramum Cælo inſerendum emiſit. Auulſo quàm innato felicior. Quà opacior arbor denſiùs germinabat Valleſia fętura, in lucem exijt. Patre Ranulpho Hugonis Franci filio, quem Henricus I. genuerat Vermanduenſi,& Valleſio Comite, geminato ad gloriam titulo Principatus, famam

mam vel ipſo nominum ſono trahente. Matre gemina Patri, Eleonora Theobaldi III. cui magno fuit cognomen, Comitis Bleſienſis, & Campanenſis filia; Theobaldi IV. quem bonum appellant, ſoror; quæ ad thalamos ſolùm ſexum imparem attulit. Conceptum in Sancti Quintini propriæ ditionis Vrbe fœtum, apud ſanctum Vedaſtũ celebre Cameracẽſis tractus Monaſterium voluit religiosè exponere. Nouerat vterum ſe ferre noui theſauri cuſtodem, quem non niſi Deo committeret. Imminentis puerperij mortales ſenſus Eleonoram monebãt. Eò ſe magis Aris addicere, & dolores prece leuare.

Semel ante Altare Sancti Hugonis, cuius illud templum ſeruat reliquias, Nouendialia ſacra agenti, cum prolixa oratione ſomnus irrepſiſſet, viſum eſt videre Virginem Deiparam Filium brachiorum amplexu implicantem, & alteri, qui lateri hærebat infanti admouentem. Hic ſitu inferior ſertum geſtabat, ille ex alto Crucem oſtendebat. Mox decuſſatim extenſis brachiolis dona inter ſe commutarunt; & floridus Cruce accepta Crucifer, & Crucifer florea vice Floridus extitit. Som-

niare

niare ſe, ac iure credebat Eleonora; & tamen mirari, & oſtenti ſenſum ratiocinando inquirere. Cum noua ſpecies admirationem auxit, & detraxit anxietatem. Improuiſus S. Hugo exiſtit comitatu amplo, ne videretur vel mortuus ſolus fœminam alloqui; & ad Eleonoram. *Quem tu*, ait, *putas alienum eſſe infantem, ille tuus eſt fœtus, ille Lilia Gallica, quibus innaſcitur, cruce mutabit*. His dictis euanuit, & oſtentum deſijt. Mater ſomnium fuiſſe vigilãs ſenſit; ſed euentus probauit vaticinium; Nec ibi tamen, quod optabat, fœtum emiſit; ſed in via, Ambiani, præter opinionem edidit, anno 1127. quinto Idus Aprilis. Luſtrali Baptiſmi aqua tincto inditum Hugonis hereditarium ab Auo nomen, quod poſtea cum ſtatu depoſuit, & Felici mutauit. Cæterum in itinere, ac penè inexſpectatus debuit naſci puer, Felix poſtea vocandus ſimilis felicitati, quæ votis quærentium non reſpondet, ſed inopina venire amat. Sic Felix ſpem Matris naſcendo deluſit, & nomen impleuit.

CA.

CAPVT II.

Offertur Infantulus S. Bernardo. Ab eo amanter ſuſcipitur. Grande in ea ætatula patrat miraculum. Ab Innocentio II. trimus benedicitur.

NATO Felici Eleonora lac prębuit; ſed melle illud condire ſtuduit. Igitur Claram Vallem adijt, & Bernardum quæſiuit, quem cęleſtem fauum ſciebat. Hic verbis Infanti mel inſtillauit, nec abſtinuit amplexu, quod credidit Bernardus in lilia, & roſas incidiſſe; obtulit ante aram Deo floridum pignus, tanquam faſciculum. Apem Bernardum credidit, qui vidit puerum in vlnis geſtantem.

Reditus domui operari cæpit, antequā loqui poſſet. Aruerat per duritiem cæli ſolum; indurueràt illud inſtar peccatorū, qui delinquendo obdureſcunt, vlturum culpas, quas non rigant lachrymę. Nubes ſubſidium pluuiarium negabant: perierat

rierat ſementis: nè herba quidem extabat in ſulcis. Araſſe litus coloni videbantur. Ardore campi exuſti, hiatibus crebris, tã-quam oribus aquas anhelabant. Sed eos humor deſtituerat, & animantes glebas rodebant, ceu rabidæ dentibus terram mordèrent. Homines ſtupor cæpit, & deſperatio. Pauperum turbæ domum Hugonis, ceu aſylum quærere, ſed ibi quoque exhauſtum penu raros panes in ſinu vaſto ſeruare; eoque ſibi domeſtici timere, nè ſi pauperibus donarentur, dominos deſtituerent. At in manibus pueri & horrea nubes erant, ſigno crucis edito illa replenda, hæ cogendæ. Imbecillitas tardabat remedium, ſed neceſſitas compulit baiulum ad regendam manum, & effingendam prope penum ſicco in aere humidam Crucem. Cælum diceres ab intelligentia raptum, ex cuius motu influxio benigna maturauit frumenta in agris, & domi auxit panes, qui viſi ſunt turgere, & creſcere, & alij naſci ex alijs. Sedata fames aſpectu vbertatis, niſi ſtupor miraculi abſtulit famem. Vidit illa Regio prodigium renouari, quod ad mare Tiberiadis Chriſtus patrauerat panes oriri ex pa-

 ni-

nibus. Nec puer afferebat, ſed multiplicabat. Citra ſudorem, & culturam. Nempè innocentes ab innocenti prouenerant, cum ſudor, & cultura noxæ ſupplicia fuerint.

Trimus cum eſſet, Carnutum, vbi tunc Theobaldus degebat, venit Roma Petri Leonis (Anacleto illi Pſeudopontifici nomen fuit) iniuria pulſus Innocētius II. Huc eò Eleonora Matre deducēte delatus Hugo. Abblandiri pedibus cæpit, & oſcula infigere. Alliciebat manus, vt benedictionem eliceret. Senſit alludentis Infantis delicias Innocentius, collegit ad ſe arctiùs, & pectori applicitum fouit indulgenter, & vltrà benedictionem manum, amorem cordis impendit.

CA-

CAPVT III.

Cum lacte diſcit pauperis miſerias leuare. Huius puerilis pietatis, & largitatis mira exempla afferuntur.

ERVDITA ad largiendum manus mirum non eſt, quòd portentum ediderit; ſemel accidit, vt qui Theobaldi ab eleemoſynis erat paupertatem multorũ in amplo atrio ſtipe leuaret. Viſus eſt ab infante ex nutricis brachijs pendulo, ſubitò eò propendere, vbi manus largientis erat. Auertit in ſe Principis Theobaldi oculos. Iuſſit obſecundari Hugoni. Voti compos diſtribuenti numos adhæſit. Strictim ille, & parcè donabat. Offenſus puer, ac eò magis, quòd ingens loculus pecunijs turgidus ex latere pẽdebat. Nè ocioſus eſſet effecit. Iniecta manu detraxit. Vna vice totum donauit, quod tenere non potuit. Ditauit multos, & compendium temporis fecit, & onere diſtributorem donauit. Riſit Theobaldus, ac iuſſit, vt

deinceps ad ſtipem erogandam infans adhiberetur; ſed eo effecit, vt illa indulgentia puero facta in caput ſuum poſtea rediret.

Accidit quippe Theobaldo cum Hugone iter facienti in pauperem incidere, quem neceſſitas obuium fecerat. Huic quod ſeminudus erat palliũ ſuum Theobaldus iniecit. Miratus pietatem pauper acceſſit fidentior, & iuſtum ab eo veſtitum poſtulauit, ac vt ex integro pius eſſet rogauit. Oſtendit patẽs frigori pectus thoracem elicuit, mox nudas tibias tibialia extorſit, quorum appendices calcei fuerunt. Animi è gelu facti: perrexit ſpoliare Theobaldum non manibus, quod latro non erat, ſed precibus, quod amicè impetrabat. Paulatim ex diuite pauperem Theobaldum fecit. Chirothecas e manibus extraxit, annulum dempſit ex digito, collare deripuit collo, cùmque interior factus ire vlterius ad galerum auferẽdum pergeret, ſubridens Theobaldus auertit manum, & ſiſte, inquit, Frater. Hucuſque licet; nam ſi mihi galerum eripis caluitiem riſui expones. Reſtitit pauper, & abſtinuit, & remiſit manus, nè virtutem

in iniuriam verteret. Nec inſolens ea ſpecies virtutis Hugoni fuit, quo cum Auunculus de pietate certabat.

Præter alias, quas Hugo iam grandiuſculus erogabat ſtipes, ſolebat ex appoſitis in menſa cibis partem egenis mittere, & fermè quod magis ad palatum erat eo ferculo pauperculum puerum recreare; in quo Ieſu ſibi imaginem proponebat. Delectari ea indole Theobaldus Auunculus, & illam confirmare exemplis, vt Ideam domi eſſe monſtraret. Huius ſpecimen ambo ſingulare ediderunt. Incedebant equites eaque ad Claram Vallē ex Vrbe qua exceſſerant duci via, cum ijs leproſus miſer habitu, & aſpectu miſerabilis occurrit. Affecit ea ſpecies amborum animos; ſed vebementiùs Hugonem, quòd iunior, atquè adeo ad ſenſum pietatis mollior commouit. Veniam petijt ab Auunculo deſcendendi ex equo ad eũ tractandum, & fouendum. Habita confeſtim in pedes ſe dedit, & leproſum amplexu excepit, & recreauit. Inde pudor nobilis in Theobaldo, quod à puero vinceretur; deſilit ergo & ipſe ex equo, accedit, & partiri ſecum munus Hugonem

cogit. Admiſit hic in partem Auunculum. Humaniſſimè igitur ambo leproſum ſuſcipiunt, molliſſimè tractāt, blandiſſime tergunt, exactiſſimè mundant, multum puris, pædoriſque detrahunt, ac in ſe tranſferunt. Mox egregiè mundatum in locum vrbi vicinum vehunt; ibi domunculam ſtrui iubent, certo in dies victu conſtituto. Confecto itinere reuerſi, de eo percōtati benè habere accipiunt, ſed intra morbum tamen tenacem corporis, cui ſemel adhæſerit. Cæperat Hugonem amor leproſi, cui nihil erat miſeria pulcrius. Quotidie de menſa ex illatis miſſibus vnum ad eum mittere, ſæpe ad eum inuiſendum exire, & cum eo perhumàniter agere, & amiciſſimè confabulari. Diù tenuit conſuetudo.

Interim aberat Theobaldus Reipublicæ cauſa, eoque abſente leproſus in ſinu Hugonis placide deceſſit, a quo tumulatus, & procuratus iuſtis ſolutis. Redijt Theobaldus, & qnod tranſeundum redeunti iuxta domunculam leproſi erat, eò diuertit. Reperijt illum pro oſtio ſtantem, non vegetum ſolum, ſed nitidum, & decorū, & quàm prohumano habitu maiorem.

rem. Stupuit, & quis nam eſſet, & an ille ipſe, quem in eo loco reliquerat leproſus, interrogauit. Cui ille; ipſe ego ſum, inquit, ac meliùs habeo extrà mortales miſerias poſitus compos æternæ felicitatis, cuius partem grati animi ſignificationem duco. Ac idcirco, vt tibi gratias agerem, è ſuperis, vbi ſum, veni, tu ex equo ad me deſcendiſti, ego ex aſtris ad te deſſcendo; & eiectis ex facie ſplendida ſubitò radijs oculos Theobaldi perſtrinxit, & euanuit. Hoc ille cum Hugoni retuliſſet, & iuſtum ei gaudium attullit, & ad pietatis ſtudia magnopeꝛe confirmauit.

CAPVT IV.

In Cænobio Claræ Vallis diſciplina litterarum, & morum imbuitur; Matri, & Auunculo Deum propitiat.

NVTRICE, & baiulo eguit Hugo, quæ aleret, qui portaret imbecillum. Padagogo non indiguit, quòd ratio, & indoles præoccuparunt diſciplinam; verum idea opus erat, ad quam ſe componeret. Eam Clarauallis in Bernardo exhibebat, qui multas ibi viuas effigies à ſuis adumbratus expreſſerat. Eò miſſum puerum non exempla, ſed Idea ad ſe conuertit. Seruare Bernardi geſta, & dicta, modeſtiam oris, grauitatem inceſſus, ſobrietatem victus, aſſiduitatem orationis, aſperitatem veſtitus, macerationem corporis, cuſtodiam ſenſuum; & altius per hos quaſi aditus intrare in animũ, & virtutes occultas penetrare: hæc admìrari primum, deinde adumbrare, & ad ſe

tranſ-

transferre, vt paruulus Bernardus in Monaſterio eſſe videretur. Ac vtì Bernardi virtus diſerta, & polita literatura erat;ita Hugoni placuit eam expolire doctrina, & rubiginem quodãmodo aſperitate vitæ contractam ſtudijs mitioribus detrahere.

Erat tunc in Clara Valle Henricus à Francia Ludouici Craſſi filius, Ludouici iunioris frater, qui poſtea Rhemenſis Archiepiſcopus fuit. Educatus ibi à puero Deo ſe votis emiſſis manciparat, & ſub Bernardo Magiſtro mirè profecerat. Huic Hugo eius conſobrinus cõformandus traditus, non vtì Vrſæ fætus lingua fingengendus, ſed vtì Aquilæ pullus Soli exponendus, non ex vngue ſuſpenſus ad periculum, ſed extra illud poſitus ad præcepta ad vnguem ſeruanda. Hic ſtimulauit ad virtutem exemplo; at breui ſe vidit æquari; puer enim ætate canos maturitate proferebat; celer curſus otium calcaribus fecit. Tunc totum opus, & negotium erat. Itaque breuì anteuertit docentem, & ad imitationem ſolum Bernardum ſibi propoſuit. Sequebatur currentem, ſed non æquis paſſibus, conabatur tamen, & impetus apparebat.

Dùm

Dùm ibi morabatur, magna infortunia Eleonoræ Matri, & Theobaldo Auunculo inciderunt, quibus vehementer conflictati reſpirare vix poterant. Innotuerunt ea puero. Ad preces conuerſus Aræ Deiparę ſe addixit, & Hoſtiam Candidam inter lacrymas egit Chriſto pro Matre, Auunculoque mactandam. Flentis oculos imago Deiparæ adhibita Filioli manu exterſit; & illo oblato oppigneravit fidem citò eos liberatum iri. Lachrymas riſus, & pax ſecuta.

CAPVT V.

Pauperi ſubuculam donat. Inſigni ſicario vitam ab Auunculo exorat. Mortuum ad vitam reuocat; Matrem amittit.

VNVM Spiritus ille Hugonis igneus ferre nō poterat. Clauſtris contineri, & legibus frenari. Liberior ad omne virtutum genus exercendum eſſe volebat. Meditabatur iam tùm ſolitudinem,

nem, at vltra Eremum cogitationes ad communem ſalutem dirigebat, vt cum ſibi conſuluiſſet, cæteris abundè prodeſſet: & quod intra ſe diſceret, in alios effunderet. Exhibat ergo à ſeptis cum Auunculo, dum ibi vterque verſabatur, & cum illo mira patrabat. Ac Theobaldus exēplo erat: occurrit ei pauper coopertus morbis, nudus veſtibus: auidus illius miſeriæ, auertit à via, & in in remotum, ac ſine arbitris locum deduxit. Primum ſtuduit tegere opus virtutis; detraxit intimā ſubuculam, & pauperem ea adhuc calida, ceù cum ea & Cordis calorem traduceret, occulte donauit, ac cæteras ſibi veſtes rurſum induit, ne quiſquam animaduerteret. At proxima nocte ſubter cerùical abſconditam reperit: viſum eſt imitari cælum Hugonem ſecreto donantem, cum ſilentio noctis vſum eſt ad redendam ſubuculam, & auxit opinionem locus ſubter cerùical omninò ſecretus, niſi quòd odorem ex ſe ſuauiſſimum emittebat; noluit fraudare Deus virtutis opus, odore exempli.

Solent magnanimi proprijs periculis minimè terreri, alienis cruciari; quod

mala

mala propria cum intra ſint, ab ipſorum animo abſoruentur, aliena quòd extra ſunt nequeunt ab illo conſumi; atque adeò volunt ea pietatis velut vnco ad ſe trahere, vt conſumant. Huius magnanimitatis ſpecimen præbuit Hugo, cum Carnuti Theobaldo, & Bernardo Comes iret. Obuius eijs fuit miſellus addictus Cruci, qui ad patibulum ducebatur Commoueri ſe Hugo ſenſit, & quod illa Ciuitas in Theobaldi poteſtate erat, condonari ei reo noxam, & remitti pœnam ab eo petijt. Nouerat Theobaldus hominem inſignem eſſe ſicarium. De eo monuit Hugonem, & ſuaſit, vt à propoſito liberandi deſiſteret. Non eſſe è Republica eiuſmodi perduellibus parci, eſſe puniri. Hærebat tamen firmius dolor, quàm vt illis verbis poſſit auelli; emiſit lachrymas, & iuuit preces. Rogatus, cùr tàm obſtinatè indulgeret commiſerationi? in hęc verba prorupit: *Quis, & qualis ille antea fuerit, neſcio; noui quid ei futurum ſit. Sanctus inſignis euadet*. Excepit vocem Bernardus, & confirmauit. Victus Theobaldus, abire liberum iuſſit; cauſam aperuit, rogauit, vt fidem vaticinij impleret; nec

ſe-

ſefellit fideiuſſores ; nam in Clara Valle, profeſſus perfectiſſimè vſque in finem, vixit.

Ab imminente hunc morte eripuit. Illum poſt mortem ſuſcitauit. Pariſijs in Troiæ ludo,(non enim abhorrebat à militaribus, quæ in vſu erant in Gallia exercitationibus) ſimul cum Rege in ſtadio decurrenti quidam ſe ſe in medio curſus ardore obijecit, ac ex equorum impetu excuſſus, & mox obtritus perijt. Cœpit omnes dolor, cuius ad Hugonem maior pars attinebat: ingenitam pietatem ſtimulauit pudor ex fortuita nece. Igitur omiſſo ludo ad iacentem ſe contulit, & præmiſſis iuſtis precibus Sanctiſſimę Trinitatis nomen, & opem implorauit; eo prolato, ceu ſono animam infudiſſet in vitam reuocauit. Et illud omen futuræ redemptionis vltra miraculum fuit: & ſanctiſſima Hugonem Trinitas eo beneficio deuinxit, vt ſuo tempore fænus exigeret; & quod ſemel in mortuo egerat, in captiuis ſæpe exequeretur.

At enim qui ignoto vitam precibus cõtulit, Matri chariſſimæ extremè laboranti lachrymis impetrare non potuit. Publi-

co-

eo natus bono, minùs domeſticis prode-
rat, plus alienis, externis poſtea profe-
cturus. Igitur monitus à Deo eſt, com-
potem ſe voti non fore, morituram ma-
trem, quo maior ſuperſtiti libertas ad va-
candum ſuperis, ad quos euolabat ma-
ter, deinceps eſſet. Hoc ægrotanti
renuntiato, & illa ſe morti li-
bens permiſit, & ille ſe
ad vitam Aſceticam
comparauit, &
palàm vi-
uere
deſijt.
†

CAPVT VI.

Poſt mortem Matris ad Aulam à Ludouico Rege conſobrino reuocatur. Crucem Hieroſolymitanam ſuſcipit; ad bellum Varijs armorum exercitationibus ſe comparat. It, reditque ex bello ſacro, & capta ex conſecuta theatri ruinam ſtrage occaſione, rebus humanis nuntium remittit.

MORTVA Matre, Ranulpho ad ſecundas trãſeunte nuptias, viſum eſt Ludouico Regi, qui eas ſuaſerat Hugonis curam ſuſcipere, & in Aula educare. Parere opus erat Regi, in quo inerat, & amor propinqui, & authoritas imperantis. Eò libentius venit, quòd Rex expeditionem Hieroſolymitanam agitabat; cuius inſigne, ac pignus Crucem Hugo amabat, & præferre cupiebat. Interim dum neceſſaria (& magna rerum moles erat) parabantur, bellicis artibus operam

ram dedit. Excelſa indoles ad arma pietatis ſtudio acuebatur. Igitur & domi, & foris exerceri cæpit. Domi in paleſtra gladiatorium munus obire, eius artis numeros noſſe omnes, & cum hoſte collato pede confligere, enſem enſi tranſuerſim admouere, tentare vires, & facto periculo conuertere ad ictum, & in latus flectere; deſignare ictui locum, ac eo ferrum dirigere; nunc puntim petere, nunc cæſim ferire, nunc recto brachio arcere longiùs hoſtem, nunc collecto ad ſe trahere, & tractum vel arte vulnerare, vel ſcuto impellere, & gradu mouere. Nec minus in ſpeculis eſſe, & ſe tueri. Auertere ictũ, nunc reiectu gladij, nunc obtentu ſcuti, vitare declinatione corporis, colligere ſeſe, ſubtrahere, & orbe clypei protegere, & munire; petitiones partim vi repellere partim arte eludere. Hæc in paleſtra.

In Hippodromo illa; equum inſtratum aſcendere, impellere, incitare, in curſum laxatis habenis effundere, ad motis calcaribus vrgere, confecto curriculo adducto fræno ſiſtere, cohibere, iterùm in orbem circumducere, & gyros agere, per eadem

eadem veſtigia ducere, ac reducere; interdum tolutim incedere, & gradus glomerare, ac ſubinde lentare ardorem, & lentè remiſſo fræno procedere. Tandem vehementius incumbere, & intentata virga in ſaltum incitare; corpus ſuccutere, cogere mordere frænum, & ſpumas agere, & anteriores pedes erigere, poſterioribus inniti, & poſtea terram effodere, & ſepulturam hoſti minitari.

Foràs in Catadromo ſeromachiã exercere, & propriùs periculo cum alijs equitibus ad bellum præludere. Solent nobiles equites Galli in turmas oppoſitas diuidi, haſtis puris, & ſcutis armari, ex aduerſo concurrere, ac inter ſe intentis haſtis confligere; nunc recta obniti, nunc ex obliquo aggredi, nunc longo facto excurſu, veluti ex inſidijs redire, & de repente inuadere, nunc circumductis equis obſidere, nunc auerſis equis, terga more fugientium, inſequentibus reddere, demiſſis in dorſum parmis, ne feriantur, nũc conuerſi quaſi è fuga redire, & inſectantes auertere, & eorum terga ſumere, & mutata ſorte belli inſectari. His permixtus Hugo alacriter omnẽ imaginarij præ-

lij aleam ſubibat. Nec his tantum, ſed viam alijs exercitationibus, tum equeſtris, tum pedeſtris militiæ ſe ad bellum Hugo comparabat, & alacris militis, & periti ducis ſpècimen præbebat. Hæc tamen ille non popularis auræ captandæ gratia, quamquam eam abundè colligebat, ſed ſtudio piè cum Turca hoſte pro Aris, lociſque ſacris bellandi agebat. Nec vana ea oſtentatio fuit. Profectus eſt cum Rege Ludouico, & cum ingenti, quem hìc adornarat, collecto exercitu mare traiecit, & expeditionem cruce inſignis ſuſcepit. In qua præclara tum pietatis in ſecũdis, tum fortitudinis in aduerſis documẽta dedit; nec minora militaris virtutis, quoties tum hoſte pugnatum. Verum occulto Dei iudicio euenit, vt infeliciter illa expeditio Regi cederet, & magna militum, nauiumque vi amiſſa, & re infecta domum rediret.

Calebant adhuc & arma, & animi; quare imaginaria illa prælia, ac imprimis Haſtiludia exercebantur. Sed ne Hugonem militare illud ſtudium ab inchoato virtutis curſu abduceret, accidit res memorabilis, quæ ab armis eum ad ſacra traduxit.

xit. Nam cum in ſtadio armatus cum alijs equitibus ludicram pugnam pugnaret; in medio ardore certaminis pars theatri ſpectantium, qui frequentes conuenerant pondere obrutum, ſubita ruina prolapſum ingentem hominum ſtragem fecit. Hoc infortunio altiùs Hugo proculſus renunciare rebus aulicis decreuit, ſeque Deo, quod antè optauerat, penitùs conſecrare.

*

* *

CAPVT VII.

Initiatur ſacris. Operatur; ſecedit in ſolitudinem; primum in ea ſolus diù: poſtea inuentus à Ioanne, cum eo tres annos degit. In diſceſſu Romam à ſe Ioannis animo linquitur; & mortem ſibi ſuam præſagit.

RELICTA florentiſſima domo, præciſa ſpe Regni, quam Salicæ legis priſca, & firma virtus proximam fecerat, ſolitudinem cogitauit. Ac ne anſam præhendendi ſe vllam Aulæ in poſterum daret, dicari priùs Deo ſuſceptis ſacris voluit. Fecit publicè, ac litato hoſtiæ ſe ſuę victima mactauit. Longinqua recedenti placebant; Vaſtam Brodeliæ Eremum in Prouincia eſſe inaudierat; cui venerationem attulerat Sãctus Fiacrius Regius iuuenis Scotus, qui Regno eam ſuo prætulerat; ibique ſolitarius ſanctiſſimè vixerat. Erat tamen adhuc loco integer hor-

horror ex receſſu, eumque Religio auxerat; creuit in Hugone eò ſe transferendi ardor, exemplo accendente ſtudium. Mutauit cum habitu nomen, ne qua ſui memoria eſſe poſſet; & quoniam miſerum ſe ante exiſtimabat, Felix tunc dici voluit, cum ſe fortunatum putabat. Extabant in eo monte quædam, ſed iam penè exeſa Fiacrij veſtigia. Ijs cum ſimilia impreſſiſſet Felix, extare cæperunt. Inuenit ædiculam Deiparæ Virgini Sacram, quam Fiacrius crexerat; prope habitare decreuit; curam ſtruendę domus ſpecus abſtulerat; veſtitus aſper, & rupibus ſimilis cariem non timebat. Calcei non exituro opus non erant; victus, inediam prope ex aſſiduo ieiunio acturo, parabilis. Potum aqua ex vicino riuo offerebat: occupatio intrà mentem futura erat. Omnia Felix prona Genio ſuo reperit; quæ ibi egerit conijciendum eſt, non narrandum, cum ſilentio, & in ſeceſſu tranſacta ſint. Mira opinor audiremus, ſi loquerentur ſaxa. Satis hoc fuerit ſcire, ſepeliſsè illum ſe ante diem in profundo horridę ſpeluncæ ſinu, iunxiſſe cum noctibus orando dies, lachrymis rigaſſe cautes, con-

CAPVT VII.

Initiatur ſacris. Operatur; ſecedit in ſolitudinem; primum in ea ſolus diù: poſtea inuentus à Ioanne, cum eo tres annos degit. In diſceſſu Romam à ſe Ioannis animo linquitur; & mortem ſibi ſuam præſagit.

RELICTA florentiſſima domo, præciſa ſpe Regni, quam Salicæ legis priſca, & firma virtus proximam fecerat, ſolitudinem cogitauit. Ac ne anſam præhendendi ſe vllam Aulæ in poſterum daret, dicari priùs Deo ſuſceptis ſacris voluit. Fecit publicè, ac litato hoſtiæ ſe ſuę victima mactauit. Longinqua recedenti placebant; Vaſtam Brodeliæ Eremum in Prouincia eſſe inaudierat; cui venerationem attulerat Sãctus Fiacrius Regius iuuenis Scotus, qui Regno eam ſuo prætulerat; ibique ſolitarius ſanctiſſimè vixerat. Erat tamen adhuc loco integer hor-

horror ex receſſu, eumque Religio auxerat; creuit in Hugone eò ſe transferendi ardor, exemplo accendente ſtudium. Mutauit cum habitu nomen, ne qua ſui memoria eſſe poſſet; & quoniam miſerum ſe ante exiſtimabat, Felix tunc dici voluit, cum ſe fortunatum putabat. Extabant in eo monte quædam, ſed iam penè exeſa Fiacrij veſtigia. Ijs cum ſimilia impreſſiſſet Felix, extare cæperunt. Inuenit ædiculam Deiparæ Virgini Sacram, quam Fiacrius erexerat; prope habitare decreuit; curam ſtruendę domus ſpecus abſtulerat; veſtitus aſper, & rupibus ſimilis cariem non timebat. Calcei non exituro opus non erant; victus, inediam prope ex aſſiduo ieiunio acturo, parabilis. Potum aqua ex vicino riuo offerebat: occupatio intrà mentem futura erat. Omnia Felix prona Genio ſuo reperit; quæ ibi egerit conijciendum eſt, non narrandum, cum ſilentio, & in ſeceſſu tranſacta ſint. Mira opinor audiremus, ſi loquerentur ſaxa. Satis hoc fuerit ſcire, ſepeliſsè illum ſe ante diem in profundo horridę ſpeluncæ ſinu, iunxiſſe cum noctibus orando dies, lachrymis rigaſſe cautes, con-

cuſſiſſe ſaxa ſuſpirijs,cruciaſſe miris modis corpus, ſenſuum vſum magna ex parte ſibi abſtuliſſe: quid enim in horrida Eremo ſpectabile oculis? quid inter vlulatus ferarum, ſtrepituſque ſonantium ſyluarum iucundum auribus? Quid radices herbarum, & poma inſipida, & ſylueſtria, & fruſta rancidi panis manducanti guſtui gratum? Quid in loco humido, & cænoſo vermibus obnoxio odoratui ſuaue? Quid ſacco aſpero, & rudi induto humi cubanti, duriſſimo in ſaxo ſedenti, nihil, niſi rupes, arbuſtaque præhendenti, molle tactui obuenerit? Ecquis hæc delicatulus recens ex aula ferret? Imò ecquem robuſtum, & induratum iſta non frangerent? Tolerauit omnia, & grauiora alia Felix; non tàm ſuis viribus, quàm ope, & virtute eius, qui ei ſingulari beneficio illam mentem immiſerat.

Conſtat eum ibi vixiſſe annos viginti, antequam eò Sanctus Ioannes à Mattha ſe conferret, eumque aperiret. Prius tamen à Felice compertus; nam vt ille impulſu Dei hunc quæſiuit; ita & hic illum inſtinctu Dei quærentem agnouit; quod venientem ſalutando apparuit, proprio quip-

quippe nomine Ioannem appellauit, & qui ſuum obliterauerat, alienum impreſſerat. Miratus eſt Ioannes, cùm prodi ſe vidit, ac ex eo quanta eſſent Felicis apud Deum merita cognouit. Cætera exinde notiora eſſe cœperunt. Quæ illo, quòd ambo pariter ibi morati ſunt, triennio egerint, altum in ſolitudine ſilentium inuoluit, niſi quæ illi prodi voluerunt. Ea paucìſſima; modeſtis hominibus prorſus tacentibus, aſſuefacti quippe rupibus taciturni euaſerant. Cæterum redditis luci, & ad commune bonum conuerſis, opera lucem conſecuta patuerunt. Et his nonnulla Felicis propria commemorare operæ pretium ducimus. In ſupremo illo à Felice Romam cauſa Inſtituti confirmandi Ioannis digreſſu; cum inter ſe ſalutarent, & valedicerent, tantus dolor occupauit Felicem, vt deliquium animi paſſus fuerit. Amiſſo ſenſuum vſu, regere ſe non potuit; & inter manus aſtantiũ prolapſus diù mortuo ſimilis iacuit. In alio naturæ deficientis ex cari deſiderio argumentum eſſet; in Felice prodigium fuit; & quidem præſenſit is in eo diſceſſu mortem ſignificari ſuam Ioanne abſente,

ſonante, accidit, vt pulſantis negligentia æra Campanæ ea ipsa ſacratiori nocte natalium Deiparæ anniuerſario peruigilio, penitus ſilerent. Quamquàm hoc non negligentię, ſed prouidentiæ aſsignandũ videretur. Qui enim poſſent ea nocte fratres vigilijs aſſueti, tam profundè ſopiri, quam Religio, vel inſuetis reddit inſomnem? Vigilabat de more Felix, & quòd horas præuenire ſolitus, in chorum prior venerat. Meliores ibi pſaltes ſocios habuit. Deipara Virgo è cęlo lapſa ſecum adduxerat cælites; ac vt habitus loco reſponderet, & ne concentus vocum à conſpectu oculorum diſcreparet, cùm Virgo ipſa, tùm comitatus ſolemnem Familiæ Crucem geſtabat. Eminebat Deipara, & nitida luce perfuſa vincebat tenebras. Et quaſi expectaſſet, dum veniret Felix ſiluit, vbi is adfuit, voce ſuauiſſima præcìnuit Antiphonas. Secuti ſunt Angeli Sanctis intermixti. Diuiſi in choros alternis canentes Matutinum cum Felice officium perſoluerunt. Fuit hoc futuræ mortis præſagium; cantus ille Cygnæum quiddam præſeferebat.

Quanto ſtudio Redemptionem Captiuo-

uorum ſuſceperit, quæ in vita Ioannis ſcripſimus, abunde teſtantur. Ac ne Præfectura, quam tot annis geſsit in Ceruo frigido ſcrupulum moueat; reuocatis ad calculum rationibus, & inito numero captiuorum, qui opera Felicis liberati ſunt, efficiunt ſummam IVMCXIX. Quam qui cum annis, quos ab inſtituto Ordine vixit, conferat, non ætati iam exactæ, ſed charitati eximiæ reſpondere comperiet.

CAPVT IX.

Certior inſtantis mortis ab Angelo factus, & ad eam obeundam à Deipara Virgine confirmatus, ſanctiſsimè moritur.

IAM corpus oneri, ætas tædio erat: vitam in malis, mortem in delicijs numerabat. In ſpe decedendi ſolatium; hoſpes vixerat, domicilium optabat, nihil humanum adhæſerat; Cœlum in votis, & oculi in Cœlo. Nouerat viam, ſidera obſeruarat, & triuerat contemplando, & intima melius tenebat, quò immiſerat cogitationes, probarunt deſiderium ſuperi, quod iuſtum erat. Iuuabant anni graues, maturumque tempori fructum reddiderant; Virtus aſsidua exercitatione emeritum fecerat. Ergo nuntius ad eum Angelus mittitur, nec nouus ijs aſſueto venit. Hic mortis imminentis certiorem fecit. Nemo vnquàm

ei

ei tam læta nuntiarat. Alius exinde color, alius vigor, alia hilaritas; feſtiuior de inſtante morte certus extitit, quàm qui è faucibus mortis ereptus vitę reſtituitur. Vnum cruciabat, Patrem ſe filiorum eſſe, quos in Chriſto genuerat; habebat eos in viſceribus, eumque illi in animos demiſerant, tam altè, vt auellendus eſſet. Ergo ex illo vulnere dolor. Mitigauit Deipara Virgo ſuprema, qnæ ei ſupererat ad viuendum, die. Hac ei ſe videndam obtulit, eximia forma, ſplendore cincta, Matrē ſe Dei confeſſa, & ſpecies illud affirmabat. Bono animo eſſe iuſsit. Iret libens, quò Deus vocabat, non idcirco defore ijs, quos relinquebat corpore, cum memor animus futurus eſſet. Perire, quod mortale erat, aſpectum, & vſum; manere immortales cogitationes, charitatem, pietatem erga eos, quos amabat. Atque vt omnem mærendi occaſionem tolleret, ſolicitudinem in ſe reijceret. Matrem omnium ſeſore recepit. Tunc lætitia Felix perfundi, exultare animo, quòd Deipara in ſuam eos tutelam ſuſcepiſſet. Deſiderare ardentiùs mori, quod morte ſua tantum patrocinium ſuis parabat. Cun-

ctis

ctis, quæ ad ſalutem Chriſtus inſtituit, præſidijs ſe munierat. Horæ, & hoſtis conſcius, ſibi mire diffiſus, totus ex Chriſto pendere, in eius ſe ſinum proijcere, inſinuare plagis, proluere ſanguine: aſtantes præcari, vt ſui memores in ſacris eſſent. Hortatus eſt deinde ad extremam illam luctam ſuos: monuit, vt ita viuerent, quaſi morituri. Eos feliciter mori, qui ſibi mortis imaginem viui propoſuiſſent. Se, quos in Eremo egerat annos, eorum nunc cum in vita eſſe deſineret, fructum colligere; nec minùs eorum, quos in Cœnobio duxerat, & in ſalutem proximorum impenderat vſuram cum fænore capere; idque ex voluptate, quæ recolentem præterita afficiebat, conſtare.

O fortunatam, inquit, illam meam in Brodeliam ex Aulę tumultu fugam! O felices, quas orando inſomnis traduxi noctes! O beatos quos legendo, & pſallendo conſumpſi dies! O dulces, quas fudi præ dolore de admiſsis peccatis lachrymas! O gratos gemitus; O bene collata ſuſpiria! O ſuaues cruciatus corporis! O amabiles pænas, quibus me afflixi! Acer-

bæ

bæ tunc, & ſpinis aſperiores, nunc roſa, & viola molliores; quòd ſi hæc tàm iucũda ſunt, vel in exilio morienti, quanto erunt incundiora in patria viuenti? Nec mihi ego tamen quicquam arrogo, qui ſciam miſerum, & peccatorem eſſe. Et ad crucem conuerſus, Tu me, inquit, Chriſte conſolaris, tu in ſpem erigis: His vulneribus ſum aſſertus; hoc ſanguine ſum redemptus. Huius me virtus in Eremum compulit, hæc in ſolitudine confirmauit, hęc mihi redimendi captiuos ſtudium immìſit. His mea ſuſpiria, lachrymę, flagra, ieiunia, meditationes, & ſi quid honeſtè, aut ſenſi, aut egi acceptum refero. Huic me cruci tecum affigito, clauis firmato, ne me tempeſtas hæc mortis demergat. Da corpus amplexui, da plagas oculis, da latus animæ, quam exhalo.

Audiebant hæc Filij, & cordibus imprimebant infuſis lachrymis, quibus notas firmarent, & inſcriberent. Inter horum gemitus, *in amplexu crucis, Chriſto immoriens deceſſit*, exacta ſenectute annorum 85. ex quibus viginti in Eremo ſolus, tres comite Ioanne tranſegit. Obijt

anno

anno ſalutis 1112. die 4. Nouembris.

Mortem æra campana nullo mouente nuntiarunt, ipſo pondere ad mærore ruente. Sonus triſtis, ac inopinatus mixtam cum horrore triſtitiam attulit audientibus; lugendam eam eſſe mortem vel ferreis cordibus docuerunt. Illius hominis iacturam non accerſito, & parco dolore, ſed innato ſenſu, non coactis lachrymis, ſed ſponte fluentibus eſſe lugendam, cum ìpſa met æra impetu ſuo, non expectato alieno impulſu, ſonuiſſent.

†

CAPVT X.

Poſt mortem apparet Ioanni, eique Vale ſupremum dicit, & cō mendat ſuos. Offertur, & procurato ei funere ſepelitur.

MOX vbi efflauit animam, Romæ conſpicuum ſe Ioanni dedit, ceu dimidium in hoc animæ, quem vnicè dilexerat poſitum repeterat, vt integer ad ſuperos migraret. Feriabatur fortè Ioannes forenſibus curis, quibus eum ſępe diſtrahebat Chriſtiana Reſpublica, ſeque domi ad orandum collegerat, cum manifeſto in lumine ſpeciem ingentis viri aſpexit. Nota videbatur; ſed improuiſa, & ingens lux oculos pręſtinxerat. Dum hos ad videndum confirmat, mulceri aures dulci, & amica voce ſenſit *Frater*, aiebat, Ioannes ſalue. En ego Felix quondam tuus tibi me ſiſto; cum primum corporis exolutus ſtinculis hùc euolare fas fuit; Tui amor

prius

priùs me tenuit, quam cupiditas gloriæ; & pars huius, quam libo, ad te pertinet, quòd meus animus tibi coniunctiſſimè adhæſerat, & qui ſtudia tecum, curaſque partiebar, æquum eſt, vt gaudium, & lucem communicem. Tu me in ſolitudine recreaſti, ego te in exilio conſolabor. Tu mihi ad detrahenda captis vincula author fuiſti. Ego ijs liber, acceptam tibi libertatem fero. His tamen implicitum, nexumque te mecum hinc deducam, quòd nùnc te arctiùs, & purius diligo. Memoria tui apud me erit, quando deſiderium pati nequeo. Tu, qui adhuc mortalia pati potes, & mei memoriam, & deſiderium ſerua. Ex duobus noſtrum, mihi prius diſcedendum fuit, qui te ætate multo anteceſſeram, & quòd officio minor eram, mè priùs cura cum vita deſeruit. Te, qui priores habuiſti partes, & quo magis eſt opus, diuturnior vita manebit. Perge ire, ac vrgere opus, redimendo corpora è ſeruitute Maurorum, & animos à poteſtate Dæmonum; nihil gratius Deo te facere poſſe confirmo. Ceruum frigidum tibi commendo. Illic meum corpus iacet. Eò tu animi curas transfer viuus, quando

H huc

huc ego animum tranſtuli mortuus. Iamque vale. Deus me vocat. Et loqui Felix, & videri deſijt, & multa dicere parantem Ioannem fuga deſtituit.

Mixtum hic dolori gaudium ſenſit, vtri magis ſe daret, diù ambiguus ſtetit. Dolebat iacturam in Felice factam, quod ipſe ſocium, & fratrem, & adiutorem amiſerat, & angebat eum ſolitudo filiorum, quos tot in locis (nam multos ille Chriſto in Gallia, Germania, Anglia, Belgioque genuerat, qui parente optimo orbati mærebant) ille ſolus, ac longe poſitus ſolari, ac regere non poterat; dolebat deſiderari doctum, & ſanctum magiſtrum, & ducem, qui domi fratres inſtitueret doctrina, & exemplo confirmaret; & foris educeret armatos monitis, munitos præceptis ad Redemptionis officium exercẽdum, præparatos. Se pluribus negocijs deſtitui, curis publicis implicari, diſtrahi varias in partes animo, minus poſſe domeſticis munijs attendere. Felicem, qui per ætatem, & genium ſe collegerat, & cogitationes omnes ad inſtitutionem fratrum, & Captiuorum Redemptionem reuocauerat, eum deeſſe egerrimè ferebat. Sed

vicit

vicit tamen dolorem gaudium, cuius ſenſus erat nobilior, quòd dolor ſentiebat incommoda; at gaudium aliena bona ſequabatur, & honeſtiùs affectum mouebat. Æquum eſſe, vt Felix grauis annis, confectus cruciatibus corporis, perfunctus laboribus miſſionem obtineret, ac mercedem reciperet, & Deo frueretur: Se, qui valeret ætate, ac viribus integer erat, maneret, & laboraret; cùm præſertim tot fratres, & ſocios Felix reliquiſſet, qui ſubſidio eſſe poſſent, ac non paucos paraſſet ipſe in Italia, & Hiſpania, qni & domi ſtudio virtutum operam dabant, & foris Redemptionis munus exercebant. Hæc vice mœroris, & gaudij verſabat animo Ioannes, vtriuſque tamen affectus potens, neutri pluſquam deceret, indulgebat.

Interim apud Ceruum frigidum funus Felici parari; nobile illud reddidit frequentia populi, quem eximia viri Sanctictas mouit, ad eum ante ſepulturã viſendum, & poſt ſepulturam venerandum; nemo fuit quin lachrymaretur, vel ex deſiderio, vel ex pietate, qua religio animos imbuebat. Cum efferri cæpit publica cõploratio orta eſt, in quam communis a-

mor erupit; ſed vt magna eſſent ſigna doloris, nec cauſas dolendi æquare, nec ſenſum exprimere. Ille verus erat dolor, qui vehementius angebat, vbi non apparebat. Plus famæ attulerunt Felici occulta ſuſpiria, quam apertæ lachrymæ. Deſtinatum ei ſepulchrym in Sacello erecto ab Hugone Caſtillionio authoris nomine celebre, quod S. Ioannis nomine dicitur. In illud corpus illatum multorum votis ſequentibus, floribus opertum, & irrigatum lachrymis, vt anima recuperata ad immortalitatis gloriam efflореſcat. Interim quieſcit, & expectat reſurrectionem.

Go-

Corollarium Primum.

Argumenta, & teſtimonia Sanctitatis BB. Patriarcharum Ioannis, & Felicis.

CAPVT I.

Notæ à rationibus ductæ afferuntur.

VIRTVTIS dùm viuitur comes ſæpe inuidia eſt. Poſt mortem extincta inuidia ſuccedit deſiderium, ac ex eo Religio, & honor exiſtit. Sequax eſt virtutis iam in tuto poſitæ cultus, tamquàm iuſta merces mortuis, & efficax ſtimulus viuis. Pars eſt quippe immortalitatis veneratio, quę animis iam è corpore exolutis tribuitur. Nec verò opus eſt acceſſiri, aut trahi eam: ſponte venit, adeſt non vocata. Naſcitur in corde: atque vtì non imperatur, ita nec impeditur. Serpit paulatim, & igne pietatis accenſa, funditur, & continentis incendij more

Digitized by Google

corripit oppida, Ciuitates, Prouicias, Regna, nec locorum terminis continetur, nec temporum ſpatijs remittitur. Imò quò longius tenduntur ætates, eò maiore ſe vi emittit, & creſcit. Ac vti fluuij, quorum fons ob longiſſimum, quem trahunt curſum, ignoratur, nobiliores habentur; ita; & Sanctorum virorum memoria, cuius multorum ſæculorum decurſu initium conſumitur, maiorem illis, & fidem, & exiſtimationem conciliat. Nam ipſa vetuſtas quò longius eſt ab adulatione, & gratia, eò eſt à ſuſpicione falſitatis remotior.

Prima igitur nota BB. Patriarcharum. Sanctimoniẹ eſto: priſca ante quadringẽtos annos ijs habita veneratio; quæ per tot ætates ad nos inuiolata peruenit: & conſumptis ijs, per quorum tradita ſubinde erat manus, viua in nobis, & integra perſeuerat, perſeuerabitque, dum Aræ, ac templa, & ſacra manebunt.

Secunda nota ſit. Munus Patriarcharum, ad quod ſunt à Deo deſtinati, & aſſumpti; cum præſertim tot prodigijs, & miraculis Religionis huius inſtitutio abũdarit: quæ certè vix vlla alia plura, & maiora

iora producet. Solet quippe Deus,quos ad altiſſimos fines eligit,ijs dotes, donaque congrua præparare. Itaque vix eſt in Eccleſia noſtra Religioſi Ordinis Fundator,quin Apotheoſim ſit conſecutus;quod ſi quis eſt illius adhuc expers, ſuo illam tempore, vti par eſt credere, obtinebit.

Tertia, Inſtituti altitudo, & finis nobilitas. Ideſt Redemptio Captiuorum fidelium è Barbarorum ſeruitute; quæ non minus corporibus, quàm animis conſulit. Qua in re vti nomine Chriſto ſeruatori ſunt ſimiles,ita & virtutibus eſſe debuerunt. Certè non crederet Deus Crucem ſuam, nec committeret redemptionis officium, niſi ijs, qui & Cruci adhærerent, & ſe ab hoſtium animi ſeruitute liberarent, nec eos vtriuſque officij compotes, & erga ſe,& erga alios authores efficeret, niſi in ſe prius virtutem Crucis, & ſanguinis fructum experti eſſent.

Quarta, præclarę eorum, conſpicuæque virtutes, quę ex ſuperiori narratione apparent;quos enim Deus conſecrari vult, eorum in illuſtri loco virtutes ponit, vt accendant exemplo; quod à conſecratione opinionem, & vim acquirit. Sanè qui

eas ſeriò expendat faces animo ſentiet admoueri.

Quinta, quæ illorum opera, & interuentu Deus operatus eſt miracula,& portenta, quibus eorum acta ſunt intertexta: quæ vtì ſupra naturæ vires ſunt, ita ſignificant ab ijs tantùm patrari, quibus Deus conceſſit naturæ vitia ope gratiæ ſuperare; & quòd ſibi ſunt charitate coniuncti, eos omnipotentiæ ſuę participes reddit. Si enim Spiritus Sancti, qui Diuinus eſt ignis,flammis accenduntur, æquum eſt,vt Filij, qui Dei brachium eſt, virtute, in edendis miraculis vtantur.

Sexta, populorum omnium, qui Catholici ſunt in eorum cultum, venerationemque conſenſio, vt etiam diſſiti locis, diuerſi linguis, habituque, imò ingenio, ſtudijs,moribuſque alij ab alijs abhorrentes,dummodo Eccleſiæ membra,& partes eſſent, eos Sanctorum loco, & olim habuerunt, & nunc habeant. Itali, Galli, Angli, Scoti, Hiberni, Germani, Belgę, Hiſpani, qui & ijs Aras erexerunt,& imagines collocarunt, & Sacra inſtituerunt, & Inſtitutum ſunt amplexi, & Ordinem celebrarunt. Idque maximè obſeruandum

dum, quòd eò quò Catholica penetrabat Fides, eò illi etiam accedebant, quò non peruaſerat, eos non peruenire. Vbi deficiebat, eos quoque eſſe deſinere. Quemadmodum in Anglia, Scotia, Hibernia, Saxonia, alijſque huiuſmodi regionibus, vbi dum Romana fides floruit, eorum & veneratio, & Religio floruerunt, vbi graſſantibus Hæreſibus defloruit, defloruerũt. Id etiam mirabile eſt, quod Hiſpania, quę Catholicę fidei ſemper tenax, & Religionis amantiſſima fuit, inter omnes alias eorum ſtudio teneatur; adeo, vt cum ij Galli eſſent, multo magis in Hiſpania, & colantur, et celebrentur; et ipſorum Ordo amplificetur, et ornetur, et officium redemptionis frequẽtius, et accuratiùs, et religioſiùs exerceatur. Teſtimonijs rem probemus.

CA-

CAPVT II.

Venerationis, & cultus antiquitas expenditur.

ANTIQVITAS cultus, et venerationis haud diù poſt eorum mortem cæpit:idque ex eo manifeſtum fuit,quod anno 1248. annis 35. poſt mortem S. Patriarchæ Ioannis, Nicolao Generali Ordinis VI.Breuiarium in lucem editum fuit cum officio vtriuſque Patriarchæ, eorum vita per lectiones diſtincta, vti fit in feſtis Sanctorum, quod Arelatæ in cœnobio fratrum huius ordinis inuenitur,et ex manuſcriptis Tabularij Romani conuentus patet. Quod certè argumento eſt multo antea eorum memoriam ſacram,ſanctamque fuiſſe: nec enim tam citò inter ſanctos Breuiarij referrentur, niſi ab eorum obitu opinio ſanctimonię alijs idoneis argumentis teſtata fuiſſet.

Pręterea Generali Alardo VIII. Ordinis procurante Vrbanus Papa IV. in Vrbe veteri ambos Patriarchas conſecraſſe,

&

& in Album Cæleſtium retuliſſe die IV. Octobris anno 1263. à Ioanne defuncto 50. narrant hiſtorici eiuſdem Familiæ nobiles Georgius Innes Scotus lib. 1. cap. 1. & Ioannes Figueras Carpit. in Annalibus ad annum 1263. & in Chron. Ordinis ad Generalem 8. Alardum, Ioannes Bla-Keney de mundi ætatibus lib. 8. cap. 12. & Franciſcus Alois in ſuo Gallico compendio. Et ex ſcriptoribus externis Guilelmus Spina Benedictinus in hiſtor. de aduentu Religionum in Angliam Centur. 1. cap. 8. pap. 209. & Traianus Maffei Florentinus in hiſtoria manuſcripta de vita Sanctorũ Patriarcharum, & nouiſſimè refert, & idoneis coniecturis munit Ioannes Tamayo Salazar in ſuo Martyrolog Hiſpano to. 6. in 21. Decembris.

Id omnino conſtat anno MCCXCI. in Comitijs Ordinis Generalibus habitis apud Ceruum Frigidum, in quibus creatus eſt Ioannes Boylace Miniſter Generalis X. huiuſmodì Canonem factum fuiſſe. *Feſtiuitates noſtrorum Patrum Ioannis, & Felicis ſolenni ritu celebrantur. Feſtum ſcilicet Sancti Ioannis ſub XII. Kal. Ianuarÿs quo die corpus eius noſcitur ſepultum. Feſtum*

ſtum vero Sancti Felicis primi huius Conuentus Prioris IV. Nonas Nouembris. Quem his verbis conceptũ affert Figueras in Chron. ann. 1291. fol. 129. & ex eo Tamayus 6. tom. die Decembris 21. cui manuſcripta Conuentus Hondiſcontani inferioris Germaniæ in Archiuio ſeruata fidem faciunt; qui certè Canon haud fieret, niſi interueniſſet authoritas Apoſtolica, cuius eſt indicere Sanctis ſacra, & ſolemnia. Imò & Canon videtur ſupponere iam inſtitutas antea eſſe illas feſtiuitates, quas tunc ſolemnes, & publicas fieri conceſſum, ac ijs dies certos, & ſtatos aſſignari, ac ſacris in Faſtis ordine ſuo collocari.

Compertum item eſt, Ioannem XXII. anno MCCCXVIII. poteſtatem feciſſe Prouincijs huius Ordinis Angliæ, Scotię, Hiberniæ, recitandi officium, ac dicendi Miſſam propriam horum Patriarcharum; extatque Breuiarium antiquiſſimum in lucem editum anno MCCCXXXX. quod à ſe Pariſijs inuentum teſtatur Fr. Ioannes à Figueroa in manuſcripto, quod eſt in Tabulario Romani huiuſce Cœnobij S. Caroli. De quo maius eſt adhuc teſtimoniũ in Conuentu Sancti Bernardi Alcyræ in

Pro-

Prouincia Aragoniæ, nã ibi reperitur Codex vetuſtus, in quo ſic habetur. *Feſtum vnicorum Patronorum, & Patriarcharum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis eminẽt. Doct. S. Ioannis de Falcon. & Mattha Apoſt. in Regno Dalmatiæ, & Diocliæ. Et S. Felicis de ſtirpe Regis Francorum ſolem. 2. Claſſ. cum octaua ex Indulto Ioannis* 22. *anno* 1318. Cuius rei ijdem, quos proximè citaui Authores ſunt. Imo addit Trayanus Maffei ab eodem Ioanne 22. Iubileum item anniuerſarium pro diebus eorundem Patriarcharum natalitijs eiſdem Prouincijs fuiſſe conceſſum; idque ex monumentis authographis Domus Auerdonenſis oſtenditur. Qua de re dilucidè Pater Georgius Innes Scotus lib. 3. de fundat. Ordinis SS. Trinitatis. Acceſſit huic antiquitati iurata, & publica fides decem grauiſſimorum teſtium, qui Romę anno 2630. Vrbano VIII. Pontifice de mandato Sacræ Congregationis Rituum ſolemni more exanimati, & interrogati vetuſtatem huiuſce venerationis, & cultus multis, & magnis argumentis aſſeruerunt; quorum nomina in Indice Authorum proferemus.

CAPVT III.

Huiuſce cultus vetuſtiſsimi ab initio per manus traditi ad noſtra vſque tempora, perpetua, & nunquam interrupta tranſmiſsio.

TRADITIONIS quanta ſit in Eccleſiaſticis rebus vis, & authoritas docuit Tertullianus lib. de carne contra Marcionem cap. 2. & S. Chyſoſtomus in cap. 2. Epiſt. ad Theſſalon. hom. 4. & Theophil. ad eundem locum; & imprimis S. Auguſtinus Epiſt. 128. ad Ianuar. vbi eam ſaluberrimam regulam dicit. Hanc adhibeamus, ac ea adhibita monſtremus cultum vtriuſque Patriarchę iuſtum, ac Religioſum apud omnes fore, dignumque qui ab Apoſtolica ſede palàm, ac vniuerſis Fidelibus imperetur. Illum ergo tam antiquum, & à tot retrò ſęculis inceptum cultum continuo ductu fuiſſe per cõſequentium annorum ſeriem retentum, & ad noſtra tempora tranſmiſsum omni-

no liquet. Infinitum eſſet omnia eius ſigna numerare, præcipua recenſebimus. Et quoniam in ſacris officijs Breuiarij verſamur in Cœnobio Barſuſenæ in Burgundia in priſco Breuiario manuſcrpito, quod ipſum indicat vetuſtatem, officium eſt Sãctorum Patriarcharum cum lectionibus ex eorum vita, geſtiſque depromptis. Narrat Ioannes à Figueroa in ſuo autographo ſupra citato.

Poſt inuentos typos exijt Breuiarium Prouinciæ Aragoniæ recognitum, & reformatum à Leone X. an. 1517. quod initio habet hiſtoriam reuelationis, & apparationis factæ Innocentio III. expreſſam imagine, & narratam hiſtoricè, ac typis mandatam, vti nos eam in vita Sancti Ioãnis cap. 12. ſcripſimus. Itaque, & ſacrificantis Innocentij, & Angelum cruce inſignem, & captiuos redimentem inter ſacra virtutis effigiem repræſentat. Hoc autem Breuiarium, quod hìc mecum dum hæc ſcribo, in hoc Sancti Caroli Diſcalceatorum Congregationis Hiſpaniarum Cœnobio ante oculos habeo, magnæ authoritatis eſt, quod illud Leo X. recognoſcendum, & examinandum dederit inſigni

gni viro Syluestro de Pricio Apoſtolici Palatij tunc Magiſtro, à quo & probatum, & confirmatum eſt, dato in id diplomate Pontificio, quod initio præponitur; curauit autem hoc fieri Epiſcopus Clunienſis Petrus de Aponte. Eiuſmodi autem Breuiarij aſſiduum fuiſſe iam tum in Aragonia, & alijs Prouincijs vſum, ex ipſomet tenore Breuis patet, & affirmat Figueroa. Plura eiuſmodi in Gallia celebrata etiam ante excogitatos typos, mihi eſt idoneis argumentis compertum. Quorum veſtigia in Ceruo Frigido, Pariſijs, Toloſæ, Auenione, Aquis Sextijs reperiuntur. Poſt typos noua extiterunt; quę & Antiphonas, & Verſiculos, & Orationem antiquorum retinent, quas poſtea proferemus. Quid! quod Eccleſia Meldenſis, ob celebrata in ea olim præclara Concilia inſignis, in ſuis pręcibus, quas palàm, & ſolenniter fundit, mentionem Sanctorum virorum facit, quòd primum eorum Ordinis à Ceruo Frigido dictum Cœnobium in ſua ſit Diœceſi collocatũ. Eadem ratio commemorationis ſeruatur in Miſſa: nam in pluribus huiuſce Religionis domibus, de ijs Miſſa vtì de Sanctis

Con-

conſecratis cum Oratione propria celebratur: qui mos nouus eſſe non poteſt,ſed ab antiquiſſimis temporibus tractus, & traditione iuſta nixus. Cui fidem faciunt teſtimonia illa decem teſtium, qui ſeuerè, ac ex præſcripto examinati, & interrogati,id compertum eſſe confirmarunt.

Ab officio, & Miſſa ad Aras, & effigies gradum faciamus. Hoc ſanè oculis patet. In omnibus Europæ Catholicæ locis, vbi ſunt Trinitariorum Conuentus,& Eccleſiæ, Altaria Patriarcharum Imagines exhibent, non inornatas, & vacuas, ſed radijs. & diadematibus cinctas, & ornatas; nec opus eſt exire Roma, cum in ea occurant ſpectacula. Nam in maioribus huiuſce Ordinis Altaribus Romæ ab antiquiſſimo tempore ſemper fuerũt Patriarcharum imagines collocatę diadematum, & radiorum ornamenta illuſtres; vtì hodie ſunt, & à fidelibus coluntur Romanis Pontificibus permittentibus. Illud autem Romæ inſigne ad gloriam eſt,quod in Eccleſia Sanctæ Franciſcæ Romanę,altare maius duas imagines amborum Patriarcharum diadematas, & radiatas intuentium oculis repræſentat. Eſſe autem

I has

has tabulas, & ſtatuas Sanctorum Patrum antiquiſſimas apparet ex ijs, quæ ſunt Toleti, Matriti, Oliſipone, Salmanticæ, Granatæ, Cæſarauguſtæ, Segobiæ, & alijs Hiſpaniarum clariſſimis Vrbibus. Inter quas duæ ſunt memorabiles. Vna, quæ Murziæ viſitur in vetuſtiſſimo Conuentu à Rege Alphonſo IX. ædificato; altera, quæ Malagæ ſpectatur in Cœnobio, quod Ferdinandus III. Rex erexit, quæ duæ vtroque Patriarcha cum diadematis, & inſcriptionibus ſanctos eos teſtantibus illuſtri ſpectabiles, oculos ad ſe conuertunt. Nec opus citare teſtes, vbi oculi fidem faciunt. Illud momentum affert, quòd Granatæ frequentiſſimæ Imagines Sanctorum more exornatæ ſunt, quòd fama conſtans eſt puerum Sanctorum implorato auxilio à morte ad vitam ea in Vrbe fuiſſe reuocatum, quemadmodum in eo inſtrumento teſtium proximè citato continetur. Nec ea Ciuitas leui de cauſa illud tantę erga Sanctos pietatis ſpecimen dedit. Atque omnes penè commemoratæ imagines illa ſunt Angeli Redemptoris apparitione conſpicuæ, vt vel mutæ ſcriptis altiùs clament rem prorſus eſſe in-

indubitatam. Nec vero huiuſmodi effigies immobiles omnes, & intra domum continentur. Exeunt domo, & in publicum prodeunt, ſeque interdum à tenebris liberant, & vtì Redemptorum ſunt, ita ſe domeſticis illis carceribus eximẽtes iuſtam in ſe Redemptionem exercent, & quòd celebritatem amant, vt in multos incurrant, quos iuuent, diebus lætioribus, ac ſolemnioribus cum inſignis aliqua fit ſupplicatio, in ferculis triumphantium more per vrbes, vrbiumque illuſtres maximè regiones portantur. Quod ipſum argumentum eſt eximiæ Sanctitatis. Is autem mos præcipuè in Hiſpania, quæ Religioſiſſima eſt inoleuit; quod nos quotannis certis quibuſdam anniuerſarijs ſolemnijs intuemur.

Poſt aras, imagines, & ſolemnitates, quæ videntur eſſe muta quædam, quamuis ſint publica teſtimonia, ſequuntur ea, quæ voce, et ſcripto fiunt; vtì ſunt conciones de eorum laudibus habitæ, et elogia ſacra, et quod illuſtrius eſt, commemoratio inſerta Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio collocantur. Hæc omnia Sanctis Patriarchis teſtimonia, et red-

dita ſunnt olim, et hodie redduntur; conciones de ijs publicæ in templis habentur; Panegyrici ijs dicuntur; Elogia eorum recitantur, nec niſi auribus eſt opus ad ea percipienda. In Martyrologijs ſacratiùs commemorari legendo ea comperimus; nam in Hiſpanico ab Ioanne Tamayo Salazar compoſito, & Ludugni recèns excuſo, inter Sanctos refertur Ioannes de Mattha hoc elogio ad diem 21. Decembris. *Beatus Ioannes de Mattha Inſtitutor, & Patriarcha Ordinis SS. Trinitatis*. In Gallici autem Martyrologij ſupplemẽto, quod Andreas à Suſſai edidit tomo 2. fol. 1204. Amborũ Ioannis, & Felicis his verbis cõmemoratio fit. *Beatæ memoriæ Ioannes de Mattha nobilis Gallus è Prouincia Phocenſi Doctorque Theologus Pariſijs inſignis, qui diuina inſpiratione afflatus Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis de redemptione Captiuorum in loco Cerui Frigidi. Diæceſis Meldenſis, ſuffragante ſibi Felice de Valeſio Anachoreta Sanctiſſimo, cui in ſolitudine illa ſe purioris vitæ ſtudio coniunxerat, approbante Innocentio III. Papa, inſtituit*. Vt alia non eſſent Anglicana, & Germanica: ſatis hæc eſſent duarum illuſtrium Eccleſiarum ad

eo-

eorum ſanctitatem confirmandam. Haberemus plura, ſi ea hæreſis in Anglia, & Germania non extinxiſſet. Inter alias inſcriptiones, quæ plurimę ſunt, Vbedæ vetuſtam S. Ioannis à Mattha effigiem ambit hæc, *S. Ioannes à Mattha Fundator Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, & Captiuorum.* Hoc titulo decorari Ioannem iam inde à priſcis illis temporibus conſtat ex lapide marmoreo, qui Illerdæ in domo PP. Redemptorum viſitur, in quo ſunt inciſa Hexametra, quæ quoniam rem memorabilem, & ad Patriarcham noſtri Seraphici Ordinis Franciſcum pertinentem verſu narrant, hìc afferre volo.

Illerdæ quondam Sanctus de Mattha Ioannes
Grande Monaſterium charis fundauit Alumnis
Permagnæ pietatis Opus: quippe omnibus ægris,
Sanis, pauperibus potuit, ſimul, & peregrinis,
Hoſpitium, victum, necnon ſolatia præbens.
Hìc Barchinona rediens Pater ille Minorum.

Sanctus Franciſcus venit, hoſpitioque receptus
Vna cum paucis ſocÿs commitantibus illum.
Gratior haud potuit Triados tunc hoſpes adeſſe
Fratribus, aut cuius pietas tam clara niteret.
Poſtquam igitur ternos per menſes haſerat illum
Optimus ille Pater, quoddam cum diuite Ciue
Fecit amicitiam Raymūdo nomine dicto,
Illius atque opibus Conuentum fundat adauctus,
Biſcētū à dicta diſtantem paſſibus Vrbe,
Nuncque locum Sanctæ Claræ Monialibus offert.
Quem, & nunc retinent, magna pietate Celebres.

En Ioannes *Sanctus* dicitur, quem titulum & ſimplicitas, & candor temporum, vtì apparet ex verſibus commendant, & nomen *Sancti* Franciſco item appoſitum, eodem ambobus ſenſu impoſitū confirmat. Omittimus alia illuſtria teſtimonia, ne prolixi videamur.

CA-

CAPVT IV.

Summorum Pontificum erga eoſdem Patriarchas ſtudia, & teſtimonia ſanctitatem eorum ſignificantia.

QVANQVAM non pauca obiter dicta ſint, quę rem in titulo poſitam continent, operæ tamen pretium erit ea colligere, & ex alijs locis in proprium conferre. Ab Innocentio III. Ordinis auſpice incipiamus. Duo hic Pontifex exhibuit ſigna illuſtria erga Ioannem, primum in funere, ſecundum in ſepulchro. Comitatus enim eſt funus illius; et aſtitit exequijs cum cætu Cardinalium; quod non legimus feciſſe Pontifex erga priuatos, niſi cum eorum illuſtris virtus, et Cælo digna, præſentiam illam nouo quodam iure poſtulabat, quemadmodum legimus in vita Sanctę Clarę, cuius funeri aſtitit Innocentius IV. Deinde iuſſit ei ſepulchrum in excelſo poni, et elogio decorari; quod ar-

gumentum ijs præſertim temporibus ſanctitatis eſt, quæ illa eleuatione tumuli ſignificari videtur; perinde ac corpus ad animi gloriam aſpiret, et quaſi conetur cum eo aſcendere: atque hoc inter ſigna cultus numerat Caſtellinus de certitud. gloriæ Sanctorum Dei, tit.de dilig. antiq. ſeru. cap.2. num.41. §.1. et 5. vtrumque autem conſtare ſuis locis oſtendimus.

Vrbanus IV. quod proximè ſcripſimus SS. Patriarcharum memoriam ſolemni ritu conſecrauit; ijſque ſacra, et ſolemnia indixit die 4. Octobris 1263. quo nihil amplius deſiderari poteſt ad teſtimoniũ, et fidem Sanctitatis. Sic affirmant illi ſeptem Authores, quos initio capitis ſecundi huius Corollarij dedimus.

A Ioanne XXII. idonea habemus: nempè Miſſa, et officij proprij ab ijs recitandi facultatem, vtì conſtat ex proximè dictis; et probatur ex proceſſu manuſcripto authentico Romani Cœnobij S.Caroli ad quatuor fontes; et ex memoriali typis mãdato authore Alexandro Mauſonio, et oblato Papę Vrbano VIII. Quæ Miſſæ, ac officij conceſſio quanti momenti ſit patet; cum non niſi Sanctis, quorum eſt conſe-

ſecrata memoria, concedatur. Accedit ab eodem Ioanne 22. conceſſum fuiſſe Iubilæum in feſto Sanctorum Patriarcharũ Ioannis, & Felicis pro Prouincijs Angliæ & Scotię, quod ab eo Pontifice impetrauit frater Eduardus Rabiſon Miniſter Cõuentus Auerdonenſis, quod antiqua exẽplaria manuſcripta Auerdonenſia teſtantur, & refert Georgius Innes Scotus lib. 3. Hoc autem argumentum eſt indubitatæ ſanctitatis.

Poſt Ioannem non dubito quin alij Põtifices multis ſignis teſtati fuerint ſanctitatem horum Patriarcharum, illi præſertim, quorum tempore Breuiarum Anglicanum extabat; nec enim opinor, niſi authoritate Apoſtolica illæ Antiphonæ, & verſus, & orationes confici poſſent. Sed illius candor ætatis impetrato beneficio nihil amplius curauit, quam implere munus precandi, quod optabat.

Vrbanus VIII. Pontifex qui ſacrorum, & Religioſus, & cultor, & fidelis cuſtos extitit, & cum nectare ſuauitatis aculeos ſeueritatis coniunxit, Sanctorum Patriarcharum ornauit altaria, & eos ſanctorum titulo affecit, ac dum pœnas Purgatorij re-

remittebat redemptores illos imitatus, eoſdem Beatos eſſe, & ab illis pœnis liberos declarabat. Igitur Conuentui Romano Patrum Trinitariorum à Sancta Franciſca dicto, eiuſdem rationis indulgentiam contulit ſingulis diebus Lunæ animam è purgatorio emittendi, facta mẽtione ſanctorum his verbis. *Altare*, inquit, *Sanctorum* m *Ioannis*, *&* *Felicis*; Dies fuit 25. Iunij. Annus MDCXXXXIV. Pontificatus 21. quaſi hoc illi Cœnobio teſtamento reliquerit. Idem duodecim ante annos in exemplo facultatis datæ P. Hieronymo Velez Procuratori Ordinis Generali ad recitandum officium S. Agnetis more patronorum, Sanctorum nomen Patriarcharum litteris ſuis inſeruit. dicens. *Quod olim Ordo huiuſmodi &c. ſub Regula Patriarchis dicti Ordinis Fundatoribus tradita, inſtitutus fuit, &c.* Ponitur annus 1623. Pontific. 10. dies 20. Nouembris. Eodem eos titulo decorauit in Bulla, qua fratribus Diſcalceatis eiuſdẽ Ordinis cõmunia facit cæterorum ordinum priuilegia eiſdem vtitur verbis; ſic *Fratres, & Religioſi eiuſdem Ordinis iuxta particulare eorum Inſtitutum à piæ memoriæ Innocentio Pa-*

pa

pa III. etiam prædeceſſore noſtro approbatum, ſub Regula propria ſanctis Patriarchis Ioanni, & Felici, &c. ſubſcriptio eſt anno 1634. 5. Cal. Aprilis, Pontific. ſui anno vndecimo. Videatur Cherubinus 4. Tom. in Appendice conſtit. XXI. & etiam in conſtitut. XIX.

Innocentius X. non minora dedit Sanctitatis Patriarcharum teſtimonia. Is ergo in formula ſimilis Indulgentiæ conceſſæ domui Toloſanæ Santiſſimæ Trinitatis, vtitur his verbis. *In ea ſit Altare Sanctorum Ioannis de Mattha, & Felicis Valois*. Romæ die 26. Aug. 1648. Pontif. ann. 4. Idem concedens Iubilæum omnibus vtriuſque ſexus fidelibus viſitantibus Ecleſiam Fratrum Diſcalceatorum Madritenſem in die ſacro Sanctis Ioanni, & Felici, quam ibi ait eſſe diẽ 17. Decembris; hæc verba ponit. *Qua inibi celebratur feſtum Sanctorum Ioannis, & Felicis fundatorum dicti Ordinis*. Expeditum die 20. Ianuarij an. 1648. Pontificatus an. 4. Et ipſe antea conceſſerat perpetuam indulgentiam viſitantibus Eccleſias tam Fratrum, quam Monialium Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Toletanę Diœceſis die 17. De-

cem-

cembris, qua ibi feſtum Patriarcharum dicti Ordinis SS. *Ioannis*, *& Felicis* celebratur. Romæ die 9. Octobris 1646. Pontific. ann. 2. Duo hic argumenta præclara eorum ſanctitatis habemus. Alterum cõmune cum alijs à titulo *Sanctorum* ductũ, alterum proprium; probari feſtum ſolemne eorum, & publico Iubilæo confirmari.

Alexander VII. D. noſter eodem titulo Sanctos Patriarchas affecit, & Eccleſias eorum ijſdem priuilegijs donauit. Primum Altare Sanctorum Patriarcharum Romæ in Eccleſia S. Franciſcæ, quod maius eſt, prerogatiuum fecit, vt qui in eo Sacerdos quoque Lunæ die Hebdomadario curſu recurrente, & octo illis anniuerſariæ commemorationis defunctorum faceret, ei quam deſignaret animam piãtem Purgatorij igne culpas, illam flammis eximendi poteſtas fieret. Data die 1. Maij 1655. Pontificatus anno 1.

Secundum, Eccleſiam Fratrum Diſcalceatorum Aquis ſextijs ſitam eo ſacro priuilegio donauit, vt omnes ex vtroque ſexu fideles, qui vtì procuratis animis anniuerſario ſolemni die *Sanctorum Ioannis*,

&

& Felicis Patriarcharum dicti Ordinis,religionis ergò viſitarent, & ſtatas preces dicerent,indulgentiam plenariam,& omnium remiſſionem peccatorum obtinerẽt. Concepta verba, quæ rem continent hęc ſunt. *Die feſto Sanctorum Ioannis, & Felicis Patriarcharum dicti Ordinis, &c.* ſubſcriptum eſt die 20. Iun. anno 1655. Pontific. 1.

Has omnes litteras Pontificias partim ex autographis, (qua ręcentes erant)partim typis expreſſas, (.quæ antiquioreș,) vidi, & auidè legi, & author ſum extare.

Ex hac ratiocinatione per tot capita ducta, conſtare puto indubitatam eſſe ſanctorum Patriarcharum Sanctitatem; nihil enim deſideratur eorum, quæ ad Apotheoſim exiguntur. Quod breuiter commemorando proximè dicta oſtendo.

CA-

CAPVT V.

Quo cultu, & honore in Eccleſia iſti Sancti Fundatores celebrentur.

PRÆMITTENDA, & proponẽda hìc eſt doctrina Cardinalis Bellarmini tom. 1. 7. Contr. Gener. de Sanctor. Beatitud. lib. 7. cap. 7. Honores, qui Sanctis deferri ſolent, ſeptem numerari. Primus, cum inſcribuntur in Catalogo Sanctorum, & in Faſtos Eccleſię relati palàm coli, & haberi ſancti iubentur. Secundus cum in publicis Eccleſię precibus inuocantur. Tertius cum ijs Aræ eriguntur, & templa dicantur. Quartus cum Miſſa, & officium Canonicarum horarum de ijs dicitur. Quintus cum dies feſti in eorum memoriam celebrantur. Sextus cum eorum inſignes radijs, & diadematis pingũtur. Septimus cum eorum reliquiæ honeſtè locantur, & publicè honorantur.

His ferme omnibus honorum generibus ornatos ſanctos Patriarchas fuiſſe, ex dictis

dictis coſtat. Et quidem affectos eos ſecũdo, tertio, & quinto, & ſexto, hodieque ornatos videmus. Septimum item genus indubitatum eſt, cum eorum vbicunque ſint corpora ſanctè colantur, & religioſè habeantur. Quod ſi Lipſana non ſint, id potius exiſtimationem augeat, quàm minuat, cum ſit argumentum erga inuiolatum corpus reuerentię, quòd præſtat integrum ſeruari, quã in Lipſana conciſum diſtribui, vtì accidit Sanctorum Petri, & Pauli, S. Auguſtini; Franciſci, aliorumque corporibus, quorum reliquias, aut nullas, aut raras thecis incluſas videmus. De quarto; quamuis Miſſa, & officium hodie integra non ſint, extat pars nobilis, quæ ſuadet olim ſuam integritatem, & iuſtam formam habuiſſe, vti nos diligenter probauimus. Atque vt id Lectoribus perſuadeamus, lubet hic producere Antiphonas, & Orationes ex veteri Breuiario Anglicano edito anno 1432. ſuperioribus Romæ exhibito anno 1649.

Ad Veſperas, Antiphona.

Laudemus viros glorioſos, & Patriarchas no-ſtros

ſtr os in generationibus ſuis. Qui de illis nati ſunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.

℣. *Exultent iuſti in conſpectu Dei.*

℟. *Et delectentur in lætitia.*

Oremus.

D*Eus, qui per Beatos Patres noſtros Ioannem, & Felicem, hunc Ordinem, ſub nomine Sacroſanctæ Trinitatis, ad rediméndos de poteſtate Saracenorum captiuos, cælitus inſtituere dignatus es: præſta quæſumus, vt eorum ſuffragantibus meritis, à captiuitate corporis, & animæ te adiuuante liberemur. Per Dominum noſtrum, &c.*

Ad Laudes, Antiphona.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à Nuptijs.

℣. *Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt*

℟. *Viuent nomina eorum in æternum.*

Ore-

Oremus.

DEus, *qui nos Sanctorum confeſſorum tuorum Ioannis, & Felicis Patrum noſtrorum confeſſionibus glorioſis circundas, & protegis: da nobis ex eorum imitatione proficere, & intercesſione gaudere. Per &c.*

Itaque nullum ex his honorum generibus deſideratur: ſolùm primus, quod culmen, & apex eſt, videtur deeſſe. Nam illa eſt vera, & legitima conſecratio, quę græcè Apotheoſis, latinè canonizatio dicitur. *Quid enim eſt*, ait Innocentius c.1. de Reliquijs, & venerat. Sanct. *Canonizare Sanctos, quàm Regulariter ſtatuere, quod aliquis honoretur pro Sancto?* Et Hoſtienſis ibi num.3. & Ioannes Andreas perſpicuè, *Canonizare eſt aliquem ſanctum per Papam Catalogo aliorum Sanctorum adſcribere, & publicè, & ſolemniter declarare.* De quo tum Theologi, tum Canoniſtæ conſentiunt. Anton.in ſum.par.3. ar.22. cap.5. Viguer.in Inſt. Theol. cap.10. de virt. Fidei §. 5. num.14. Bellarm.tom. 1. contr.7. Generali, lib.1. de Beatitudine Sanctor. cap.7. Turrian. in 2.2. diſp. 17.

dub.1. Granadus in 2.2. contr.1. de Fide tract.7.diſput. 3. Cardinal. Tuſcns in Repertorio. Verbo Canonizatio. Caſtel.de Canonizat. Sanct. & Contelorus de Canoniz.cap.1.ad quem gradum, imò faſtigium BB. Patriarchas haud liquido conſtat perueniſſe.

Nihilominus ſi verum eſt, quod nos ſuperius tot Authoribus idoneis viris diximus, eos ab Vrbano IV. in Faſtis Eccleſiaſticis eſſe relatos, ne hoc quidem honoris genere priuantur. Verum quamuis de eo minimè conſtet, non ideo in altiſſimo Sanctitatis gradu non eminent, cum reliquis omnibus honorum generibus afficiantur, quorum ijs multos contulerunt Pontifices, alios certè permiſerunt, & permittendo probarunt, quod tacitæ cuiuſdam, & virtualis, & loquuntur Theologi Canonizationis eſt genus; D. Thoma 1.2. q.97. authore, vbi ſic. *Ita*, inquit, *alicuius Sancti cultus ex conſuetudine Eccleſiarum generaliter introductus vim habet ex approbatione tacita, vel expreſſa Summi Pontificis.* Quo genere Canonizationis multi Sanctorum Conſecrati ſunt; vtì oſtendit Bellarminus tom.1.c.8.lib.1. & Granado cit.

ſect.

ſect.3. num.16. & Caſtellinus, qui longum eorum Catalogum texit. Patet autem Summos Pontifices ſcientes, ac prudentes hęc honorum genera collata Patriarchis permiſiſſe imò & multa in illos contuliſſe, & quotidie noua conferre: Nec quicquam detrahere, ſed augere. Qui ergo non tacitè conſentiunt Conſecrationi? Atque huiuſce conſenſus perſpicuum ſignū dedit Vrbanus Papa VIII. anno 1625. cum decreto ſuo iuſſit radiorum Orbes, & diademata Sanctorum, quorum eſt memoria conſecrata, propria, ijs qui conſecrati non erant detrahi, & cauit ne deinceps eiuſmodi inſignia, niſi Canonizatis imponerentur; etenim nihil horum detractum eſt Romæ, vel extra Romam Sanctis Patriarchis, cum tamen ij, & radiatis, & diadematis capitibus in Aris principalibus eminerent, atque ab omnibus ſpectarentur. Quod ante me obſeruauit Doctiſſimus P. Fr. Leander à Sanctiſſimo Sacramento Diſcalceatæ familiæ Miniſter Generalis in ſua epiſt. Dedicatoria tom.2. quæſt. moral. Quare dubitandum non eſt, quin Sanctiſſimi Patriarchæ in excelſo ſint gradu Sanctitatis conſtituti.

Sanè qui ſecum reputet quanta ſit Fidelium erga illos Religio? quanta in ijs fiducia? quæ in eos pietas? quæ frequentia in eorum templis? quæ Coronæ circum altaria? quæ donaria in tholis? quę anathemata in Aris? quæ vota ante effigies? quæ concentus ſuauitas? quæ odorum fragrantia? Is profectò ſibi perſuaſerit eos inter Sanctos eſſe numerandos; & licèt ſaxeus ſit, ad fidem hiſce teſtimonijs habendam emolleſcet. Maneat igitur Sanctos Patriarchas Ioannem, & Felicem Illuſtres Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, & Captiuorum Fundatores, dignos eſſe quibus omnia, ſi quæ deſunt, ſacri honoris inſignia conferantur.

Co-

Corollarium Secundum.

De Regula, & Fructibus huius Religionis.

CAPVT I.

Regula propia Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis.

CONSTAT ex ijs, quæ ſupra commemorauimus Innoc. III. imperaſſe Ioanni, & Felici, vt Regulam acceptam ab Epiſcopo Pariſienſi, & Abbate S. Victoris, ad ſe afferrent, quam ipſe confirmaret, & traderet obſeruandam. Propriam eam, & inſtituto, ac fini congruentem eſſe, eamdem legenti patebit, nam caput illius, & præcipuæ partes verſantur, in Redemptione Captiuorum cõmendanda, & promouenda. Quod apparet ex cap.2. & 13. quæ longiora ſunt, & rationes pecuniarias ad Redemptionẽ Captiuorum exactè, & accuratè præſcri-

bunt; Qui proprius finis eſt huiuſce Religioſę Familiæ. Cęteræ partes;quę ad domeſticam diſciplinam ſpectant, ita ſunt in præcepta, monitaque digeſta, vt ad eum finem mirè conducant. Hanc Regulam ita concinnatam, à pijs, & doctis viris Epiſcopo, & Abbate, Innocentius III. confirmauit litteris Apoſtolicis; quas inſertas tomo 1. Epiſt. Innocen. legimus, & apud Cherubinum reperimus hanc regulam primam. Aliqui Pontifices poſt Innocentium pro ratione temporum, quæ multum momenti moribus afferre ſolent, modicè temperarunt. Alexander IV. Clemens IV. qui pios ea de re Vrbani IV. conatus, quibus eſt immortuus, ad exitum perduxit, & Pariſijs iterum ab Epiſcopo, & duobus Abbatibus S. Victoris, & Sanctæ Genouefæ de mandato Vrbani recognitam, & paulùm deflexam Regulam ad ſe miſſam litteris publicis fidei ratam fecit. Verum id obſeruandum, nihil ferè de Regulis ad Redemptionis rationem, effectumque ſpectantibus eſſe aut imminutum, aut mutatum. Hæc & integra, & inuiolata manſere.

Cæterum propriam eſſe huiuſce Religioſi

gioſi Ordinis Regulam non iam ex notis, ſed ex ipſo textu apparet. Quamuis enim illius Authores inſtituti Auguſtiniani, id-eſt Canonici Regulares eſſent, ita ſe geſ-ſerunt, vt libero iudicio, & vacuo affe-ctu, propoſito ſibi fine illius, quam informabant familiæ, rationes ad eum viuendi contulerint. Qua in re Germanos ſe Au-guſtini, & Filios, & diſcipulos ſunt pro-feſſi, quem ego ita facturum exiſtimo. Tam eſt ille Candidus, & ab omni preoc-cupati animi nota alienus. Equidem cũ accurratè (quod me pungebat ſtudium, quo Auguſtinum peſequor) vtramque Regulam, ideſt has Trinitarias, cum illa tertia Auguſtiniana, quę duas alias con-tinet priores, ſatis longa (tres quippe Regulas Auguſtinus edidit, quæ haben-tur 1. tomo operum S. Auguſtini,) con-tuliſſem, ac eò accuratiùs, quod ſcirem nonnullos authores in ea eſſe opinione hanc Trinitariam ex Auguſtiniana ſump-tam eſſe, atque adeo affirmare Trinita-rios Patres in Auguſtini cenſu numerari; fatcor ita diſſimiles inueniſſe, vt omnino diuerſas iudicauerim. Cuius rei idoneus teſtis ſum, & cui fides ſit adhibenda, cum

nemo me Auguſtini ſit, quod omnibus notum eſſe puto, amantior, & eius glorię auidior. Sed vna me veritas mouet, & hanc vnam Auguſtino præpono.

Quod ſi quis tamen velit contendere multa eſſe in his Regulis virtutum pręcepta communia, non repugnem, ſed ea non magis ſunt ex Auguſtini Regula deſumpta, quam ex Euangelio, & Apoſtolica doctrina. Qua ratione æquius eſt dicamus ea vnde deſumpſit Auguſtinus, indè illius diſcipulos deſumpſiſſe. Sunt quædam præcepta omnibus Chriſtianis, quędam item Religioſis communia. Hæc autem non poſſunt propria dici, cum ab omnibus ſeruari debeant. Itaque ſi quid hoc iuuat cauſam Auguſtinianam, æque iuuabit Baſilianam, aut Benedictinam, cum in his regulis eadem illa præcipiantur. Sunt autem ea, quæ ad charitatem, & contemplationem, & patientiam, & demiſſionem animi, & correctionem fraternam ſpectant, quę nemo non Religioſus obſeruat. Quemadmodũ igitur inepte quis diceret trium votorum profeſſionem ab certa Regula ſumi, quod vota ſint ſtatus Religioſi propria, non vnius certæ Regu-

lę Religioſorum, ita abſurdè pronuntiabit hæc rectè viuendi præcepta, quæ Monachis ſunt communia ab vna, vel altera Religione deſumi, cum ea ſtatum, & rationē eorum comitentur. Adijci hæc ipſa, quæ poſſent videri deducta ex aliena Regula, quod morum documenta ſint, ea ſic concipi, & formari in præcepta, vt modus ipſe, ratioque locandi omnem ſimilitudinem tollat. Quod qui attentè vtramq;leget Regulam animaduertet.

Vno verbo. Non eſt PP. Trinitariorum Regula aliena, ſed propria, idque non modo certũ exiſtimo, ſed Religioni proximum. Sanè mihi aliter ſentienti ſcrupulum moueret illa ſolemnis inſcriptio antiquitate venerabilis monumento Ioãnis in S. Thoma de Formis inciſa, quæ diſertè ait. *Sub propria Regula*, quod mutum teſtimonium omnium ablatrantium voces refutat, nec ego contra eos, qui refragantur alio argumento vterer, quàm illo ipſo ſaxo auulſo, vt eo hiantia illorum obturarem. Ac vt fidem meam vendicem de aſtruenda Religione refragantibus, affirmo rem hanc quodammodo iam in ſacram tranſiſſe. Etenim coram

Pon-

Pontifice Gregorio XIII. in oratione ad ipſum habita, Fr. Franciſcus Bochetus Vicarius Generalis eandem hanc, quam protuli inſcriptionem recitauit, & illam particulam *Sub propria Regula*, vtì erat inciſa, pronuntiauit, quàm Pontificis aures, cum reliqua de inſtituto Ordinis narratione, libenter ſuſceperunt. Maius adhuc pondus habet, quod Vrbanus VIII. calculo ſuo adiecit, cum in Bulla de recitando officio duplici, & cum octaua in feſto S. Agnetis ſecundò, data 20. Nouemb. an. 1632. Pontificatus 10. eandem formulam *Sub propria Regula* vſurparit, & publicam ei authoritatem, & fidem fecerit. Itaque cum in ſacram tranſierit, religioni dandũ, ſi quis de ea dubitarit.

CA-

CAPVT II.

Fructus horum Gallici horti Liliorum, è Redemptione Captiuorum collecti.

VTI propriam hic Ordo regulam habuit, ita & proprium redimendi Inſtitutum. Hæc prærogatiua eſt. Virtus Trinitariæ Familiæ, quod nulla prçter eam alia ex inſtituto ſit Redēptrix. Non negamus illuſtrem multis nominibus Ordinem, qui *à Mercede* appellatur eā obire, & obijſſe Prouinciam: ſed negamus ijs ex inſtituto proprio conuenire. Emittunt quidem ea de re votum, ſed additum, non deductum ex ratione inſtituti. Cuius vi tenentur Patres Trinitarij Captiuorum Redemptionem ſuſcipere. Hic enim vnicus, & principalis illius inſtitutionis finis tot miraculis illuſtratus.

Atque vt id manifeſtiùs appareat, rem narro, & miram, & gratam opinor lectoribus, ipſemet Patres *B. Mariæ de mercede* in-

ingenuè faſſi ſunt, & litteris mandatam in archiuio S. Adriani de Vrbe ſeruant, à quo illam extraxit Mag. Ioannes à S. Roberto, ſeu Figueras; & de qua interrogatus R.P. Vicarius, & Procurator generalis, Mag. Michael de Alcantara Mercenarius planè aſſeruit. Igitur anno 1429. orta nobilis inter PP. vtriuſque Redemptionis Familiæ quæſtio eſt. Vtri earum munus hoc conueniret? Cauſa Romam delata, & coram Martino V. Pontifice, & Collegio Cardinalium magna contentione agitari cæpit, quam augebant ſtuſtia partium, Rege Aragonico Patribus Mercenarijs, & Regibus Galliæ, & Hiſpaniæ PP. Trinitarijs ex aduerſo fauentibus. Dirimendę litis gratia è re viſum, vt ex vtraque vna conflaretur: Sed noua inde extitit controuerſia, vtrius nomen, ac titulus futurus eſſet? nam euenturum prorſus erat, quod fluuijs confluentibus accidit, vt minor dum confluit nomen, & famam amittat. Igitur placuit ſortibus rem committere, quarum exitus in re pia, adiunctis, quibus omnes ſtudioſè vacabãt precibus, Religioſus futurus erat, ac diuinæ prouidentiæ aſſignandus. Nec Patres

tres detrectarunt modum. Conuenit inter omnes, vt cui ſors faueret, is Ordo prærogatiuã, & nominis,et dignitatis ferret. Hoc eſt, vt ſi Trinitarij primi ſorte exirent, Ordo deinceps diceretur *Sanctæ Trinitatis de mercede, & Captiuorum*. Sin contra *De mercede Sanctiſſimæ Trinitatis, & Captiuorum*.

Ventum ad ſortes; verſata vrna ſortem extractam Patribus Trinitarijs prærogatiuas dedit. Confecta res erat, ſed ne caſu accidiſſe videretur, iterùm tentare ſortes placuit. Itaque rurſùm iniecta nomina Ordinum, & educta, rurſum Patribus Trinitarijs ſors reddita. Iam perſuaderi ſibi omnes id haud temère eſſe, ad prouidentiam Dei rem ſpectare. Cumque hoc animis præcepiſſent, repetere ſortes voluerunt, id mirum, *quod ſepties extracta ſors Trinitarijs Patribus addixit.* Quo patuit ijs Redemptionem eſſe addictam. Hoc ſatis fuit Patribus Trinitatis. Iure contenti, quoniam graue erat Mercenarij nomen ſuum ſubmittere, & munus pro ſtudio, & nuncupato voto ſuſceptum non tam ſuo, quam alieno arbitrio exercere; & quia Religioſa æmulatio officia pieta-

tis

tis augebat, & Rex Aragoniæ impensè ijſdem fauebat: æquius viſum eſt nihil mutari, ac rem, in quo antea erat ſtatu, relinquere, vt ambę Familiæ redemptionem promouerent, vt fieri ingenti cum fidelium vtilitate videmus.

Age vero, quod noſtrum eſt, quis fuerit Redemptionis curſus, & fructus ab inſtitutione huius Religioſæ familiæ monſtrare agrediamur, vt appareat, quàm illa inſtituto, ac fini ſuo reſponderit.

Vix dum orta Religio in ipſis cunabulis Redemptrix fuit, vt cum lacte, quem biberat, ſanguinem ſuum impenderet. Anno 1199. Author ipſius, & conditor Ioannes primam redemptionem indixit. Collegit vndecunque quas potuit opes, ac Ordinem ſuum ipſis penè, quibus inuolutus in cunis erat, panniculis exuit, vt captiuos indueret. Ac omnino ſpoliaret, niſi Innocentius, & Philippus Auguſtus, & Mathilda Comitiſſa Burgundiæ, & illuſtris quędam fæmina Gallicana Maria Panateria ſubſidium mitterent. Hoc accepto, duos elegit ex primis, qui in Ceruo Frigido profeſſionem emiſerant graues, & doctos viros, Fratrem Ioannem Angli-

cum

cum, & Gulielmum Scotum: qui Roma profecti vt à capite inciperent, Maij die 30. anno 1199. Marrochium venerunt cum litteris Pontificis, quemadmodum ſupra commemorauimus, & captiuos 186. ſeruitute liberos ſecum eodem anno, ſexto Octobris in Patriam reduxere.

Gratum opus Pontifici, ac Regibus fuit quod è re Chriſtiana, & publica eſſet. Igitur Ioannes ipſe proximo 1201. anno prouinciam ſuſcepit, & comite Fr. Ioanne Anglico Tunetum nauigauit. Vnde 120. eduxit, & ſuis reddidit. Auxit profectus ſtudium. Rurſum anno 1204. Tunetum rediit, & 104. alios vinculis exemit, & exemplo incitauit alios. Nam è Ceruo Frigido Felix ſuſcepto ſtudio ex ſuis miſit, qui idem pietatis munus ex officio exercerent, tam proſpero exitu, vt quo tempore vixit, eo 4119. vtì antea diximus, liberauit.

Ea fama mouit Philippum Auguſtum ſacrum bellum magno apparatu aggreſſum comites eos in Caſtris habere, ac eorum opera vti, quam illi inſignem dederunt in curandis militibus, & captis redimendis, et infidelibus conuertendis, et mul-

multo clariora facerent, ſi eius expeditionis exitus præclaris initijs reſpondiſſet. Cumque Ioannes comperiſſet maiorem captiuorum partem Hiſpanos, quorum portus obnoxij Afris ſunt, eſſe, in Hiſpaniam ſe contulit, vt ibi fundaret ſui Ordinis domos ad ferenda captis ſubſidia: quas cum multas erexiſſet, et ſingularem erga ſuos tum Regum, tum Prinpum virorum liberalitatem expertus eſſet, Romam venit. Nec diu ceſſauit, anno quippe 1210. aliam Tunetum expeditionem ſuſcepit: ac 220. Chriſtianos aſſeruit: et non ſine magno periculo ſuo, et ingenti miraculo, quod retulimus, Romam ſaluis omnibus remeauit. Eodem anno remiſit Tunetum Fratrem Guilielmum Scotum, et Fr. Thomam Gualterum, qui inde 114. captiuos extraxerunt. His quinque redemptionibus tribus à ſe, duabus à ſocijs factis docuit, quàm eius, quod à Deo acceperat inſtituti religioſus cuſtos, et obſeruator eſſet, ſuiſque eò deinceps ituris impreſſa veſtigia reliquit. Sacras vero has expeditiones æquato cum plagis Chriſti numero fecit.

Defunctis Parentibus, relictam ſibi hære-

re-

reditatem ādijt Religio. Atque vtì hęc domi creſcebat, ita foris propagabatur. Alumni Redemptores euadebant: & quas comparabant copias, eas in commune captiuorum ſubſidium conferebant. Recenſere omnes ab initio ad noſtra vſque tempora Redemptiones, operoſum erit, nec id nos, qui compendio ſcribimus, exactè præſtare poſſumus. Summam tamen earum, quæ diſtinctè à ſcriptoribus commemorantur, inibimus, & in Hiſpanijs, quæ plures, & copioſiores, & manifeſtiores ſunt, maius ſtudium ponemus.

Vt à fonte incipiamus, Prouinciæ Gallicanæ, quæ octo ſunt, ad annum vſque 1637. Ducenas, ſeptuagenas, ternas, Redemptiones egerant, captiuos trecenos millenos liberarant. Prouincia Anglia dum ſtabat, centum octaginta ſex recenſebat, magno numero captorum aſſerto. Prouincia Scotia, quinquaginta quatuor numerabat. Quot fuerunt liberati non conſtat. Prouincia Hibernia, ſexaginta Redemptionum author fuit. Captiui ignorātur. Ex Prouincia Ruſſiæ ſexaginta aliæ Redemptiones in Perſiam, & Tartariam ad annum 1420. exierant. De captis nihil

hil. Prouinciæ Paleſtinæ anno 1455. cum eſſe deſijt, ſeptendecim ſupra centum Redemptiones fuerunt. Prouincia Siciliæ anno 1551. ſexaginta expeditiones redimendi cauſa ſuſceptas commemorabat. Prouincia Neapolitana anno 1349. octogenas ſenas cenſebat. Prouinciam Germanicam ad annum vſque 1414. cum iam turbari cœperat, centenę quadragenę ternæ inſignem reddiderunt.

Ad Hiſpaniam veniamus. In quatuor Prouincias diuiſa eſt. Hiſpanicam, (quæ Caſtellanam, Legionenſem, Nauarricam comprehendit.) Bęticam, Aragonicam, Luſitanicam. Etſi Bętica vſque ad Philippi II. tempora eadem cum Hiſpanica fuerit, atque adeò Redemptiones cum illa communes habuerit. Singularum, & Redemptiones, & redemptionum fructus numeremus: vt quantum vniuerſus Ordo profuerit ex vna Hiſpania ſatis appareat. Nec verò omnes ſigillatim recenſebimus, partim quòd multarum ad nos haud peruenerit notitia, partim quòd earum, quas compertas habemus, Ioannes Tamayo Salazar nobilis author Hiſpanus Catalogum inſtituit accuratiſſimum, in

quo

quo, & Redemptorum nomina ponit, & Oppida Maurorum, vnde captiui liberati ſunt, indigitat, & annum, quo factæ ſunt Redemptiones aſſignat. Vtì videre eſt Martyrologio Hiſpano tom. vlt. ſexto, die 21. Decembris. Cui authori, ob id maximè ab vniuerſo Ordine agendę, ac referendę ſunt gratiæ.

Igitur Hiſpanica, (quæ Bęticam inuoluit) Prouincia, quo anno has pias expeditiones, ideſt MCCL. ſuſcepit, ab eo, ad MDCLVII. Generales Redemptiones fecit LXXII. certas, & conſtantes. Has quippe duntaxat profero. De alijs mox dicturus, in quibus, inito numero Captiuorum, ſumma eſt viginti tria millia, ſeptingenti, viginti ſeptem. Aragoniæ recenſentur XXV. Redemptiones. Redempti V. millia, ducenti, ſeptuaginta ſeptem. Portugallia numerat LXXIII. Redemptiones. Earum fructus, liberata capita quindecim millia ſexcenta ſex. Præter has, multæ aliæ à priuatis Religioſis ſuſceptæ, vel proprij Capitalis, vel aliorum, qui eas illis demandabant, opibus. Quæ ingentem Captiuorum multitudinem in libertatem vindicarunt. Hæ videri poſ-

ſunt apud P. Fr. Petrum Lopez de Altuna, & P. Fr. Bernardinum à S. Antonio, in hiſtorijs Ordinis.

Verum, vt appareat, quàm gratum Deo opus Redemptionis hoc fuerit, prouidit ipſe, vt loco trium Prouinciarum, quas Hæretici in Anglia, Hibernia, & Scotia, extinxerant, tres aliç in Hiſpania reſurgerent, quas ſeuerioris diſciplinæ ſtudiũ, ad inſtaurationem primitiuæ Regulæ, excitauit. Cuius author reformationis fuit, admodum religioſus, & venerabilis *P. Fr. Ioannes Baptiſta à Cõceptione*, de cuius Beatificatione illuſtris eius Diſcalceata Familia apud S. Sedem Apoſtolicam agit.

Et quamquam his Patribus Excalceatis principio non licuerit, ob Paupertatem, & difficultates rerum domeſticarum, & paucitatem fratrum, & curam tuendi recèns natam familiam, eamque fouendi, & confirmandi; necnon ob lites ijs à PP. Calceatis, & de Mercede, ſuper miniſterio Redemptionis motas, in redimendis captiuis occupari. Vbi tamen domos certas, & ſtabiles, & Prouinciam conſtantem, & quietam, ſublatis, victiſque litibus, habuerunt; quod tandem anno MDCXXV.

ſunt

ſunt conſecuti, tam ſtrenuam huic negotio operam nauarunt, vt mirum ſit, tot captiuos redimere, tam breui tempore, & tam exiguis copijs, potuiſſe.

Ergo, anno MDCXXV. prima fuit ſuſcepta redemptio à Patribus Gabriele ab Aſſumptione, & Sebaſtiano à Matre Dei, qua Tetuaui LII. Captiui ad pileum vocati, liberi in Patriam remiſſi. Secunda anno MDCXXXII. authores fuerunt PP. idem Sebaſtianus, & Gaſpar à Regibus Tetuani, & Zale, è quorum ergaſtulis LXIX. ſunt educti. Tertia anno MDC.XXXIV. eidem Fratri Sebaſtiano ex præſcripto Regis Catholici demandata Zale, quę LVII. milites, & pueros tres, patrię quaſi renatos peperit. Quartam anno MDCXXXVIII. PP. Frãciſcus à Cruce, & idem Gaſpar à Regibus Tetuani patrarũt; & LXXX. ſeruituti exemerunt. Quinta anno MDCXL. eoſdem habuit redemptores. Liberi CXIII. captiui eorundem opera ſunt effecti; inter quos tres fratres minores fuerunt. Sexta facta fuit anno MDCXLII. Redemptoribus ijſdem Patribus Algerij. Hanc illuſtrem fecit effigies Deiparæ Virginis Mariæ è manibus Mau-

rorum erepta, quam CLVI. ſunt Chriſtiani, Ducem, & auſpicem libertatis conſecuti. Septimę anno MDCXLIX. operam dederunt PP. Benedictus à S. Michaele, & Michael à Virgine. Algerij CVII. vinculis exoluti. Octaua, quam præſtitere an. MDCLIV. PP. Antonius à Spiritu Sancto, & idem Michael, CXXVI. e Tetuani carceribus liberos proprijs laribus reſtituit. Nona anno MDCLVIII. quæ ab eodem P. Michaele, & P. Andrea à S. Hieronymo ſuſcepta eſt, CXLIII. Algerio emiſſi; inter quos erant VI. Religioſi; Carmalitæ excalceati tres; Franciſcanus vnus; Prędicator alter; tertius Ieſuita. Harum Redemptionum Catalogus in tabulas per annos digeſtus, qui captos, ſexum, nomina, ætatem, patriam, locum, vnde ſunt eruti, diſtinctè exhibet, in hoc Sancti Caroli cœnobio, in primo atrio domus viſitur. In quibus, nongenti, & vndecim captiui cenſentur, & non pauci ex Italia. In quorum omninm redemptionem, piè, & largiter vltra ducenta, & viginti ſcutorum millia, tùm ex proprijs, tùm ex oblatis à fidelium pietate, ſunt expenſa. Quòd ſi hæc infans adhuc, & penè

nè in cunabulis poſita Familia, præſtare, potuit, quanto maiora adulta, & confirmata patrabit?

Quòd ſi alias redemptiones, tùm Generales, tùm priuatas, quarum incertus eſt annus, & authores minus comperti, numeremus, & numerum captiuorum, tum ex ijs, tum ex illis, quas modo recenſuimus exacte ineamus, Redẽptiones 1361. Redempti III. ſupra CC. millium ſummã cõficere, ſcriptores idonei teſtantur. Quò fermè redit illa, quam Ioannes Tamayo Salazar in ſuo Martyrologio proponit. Nec tantum capti à ſeruitute, ſed reliquiæ, Agni, Imagines Chriſti, & Deiparæ, & Sanctorum ab iniuria ſunt liberatæ.

In hoc verò pium, & charitatis plenum opus, non modo tertiam partem bonorũ, quæ iam addicta ex vi regulæ eſt, ſed etiã ad communem vſum, victumque neceſſaria ſæpe, & interdùm ſacra vaſa, et veſtes conferuntur, exutis Fratribus, ſpoliatis Altaribus, vt captiui induantur. Quanto autem id præter impendium periculo fiat, ex auaritia, et immunitate gentis, qua, cum de redemptione tranſigitur indè fue-

rit ęſtimare. Id vt appareat, non ab re erit aliquot ex his, qui in exercitio huius muneris mortem pro Chriſto ſunt paſſi, recēſere. Argumento quàm cum fuerint Redemptores, qui ſanguine ſuo redemptionem perfecerint, imitati eum, qui nos omnes à Diaboli ſeruitute ſanguine ſuo redemit.

CAPVT III.

De Fratribus huius Familiæ, qui in odium fidei mortem obierunt.

PVRPVREA oportuit eſſe hęc Lilia orta in Gallia, & quę Cruces, et Redēptores peperērāt, nō potuerūt non roſas de paſſione rubras procreare. Quo enim Crux, niſi ad mortē? Quo redēptio, niſi ad martyrium per effuſi ſanguinis viā duceret? Ferax igitur Trinitarius Ordo Athletarum Chriſti fuit. Non eſt animus omnium numerum inire, ſed eorum ſummam facere: et eos duntaxat, quos immanitatis Barbaricæ Mauritanus turbo abſtulit

ſtulit, ſtudioſiùs commemorare.

Primos Chriſto mactauit bellicus Federici II. Imperatoris furor, qui cum impia aduerſus Pontificem Gregoriũ IX. & Eccleſiam, arma ſumpſiſſet, & Italiam vaſtaſſet, ac Romæ Vrbi immineret, vt hanc peſtem auerteret Pontifex, ſuos Crucibus munitos in aciem eduxit, inter quos Trinitarij Patres ſexaginta, illuſtriores bicolore Cruce, eminebant. In hos ergo deſeuijt truculentus Imperator, & captos, partim in Crucem egit, partim iugulauit, partim medios diffidit, partim combuſſit. Omnes miris modis cruciatos è medio ſuſtulit. Horum nomina exciderunt. Vnius, qui ijs præerat, nomen extat. Frater, is erat, Iacobus Leonenſis. Sexaginta hoſce fortes ad cuſtodiam lectuli Salomonici, Eccleſiæ ſuæ, in qua requieſcit, his armis inſignis Chriſtus adhibuit. Hæc prima acies fuit.

Secunda multo numeroſior. Conſtantinopoli à Mahometo capti: cum in omnia Chriſtianorum capita immanis ille, & atrox Tyrannus ſine diſcrimine ſæuiret, CXII. Religioſi ex Ordine Trinitatis viri, agitante in rabiem Turcam odio Fidei,

quam

quam, & Cruce, & voce teſtabantur, ad necem ducti, nobilius ſanguine fuſo, Chriſto teſtimonium reddiderunt. Eos ad mortem alacriter pro Chriſto ſubeundam adhortãte P. Prouinciali Fr. Leonardo Morciano. Eadem rabies integrum ſanctimonialium monaſterium euertit, in quo tres, & quinquaginta varijs cruciatuum generibus ſunt extinctæ. Verè Lilia virginitate candida, ſed in roſas meliùs commutatæ. Agnum, qui paſcitur inter Lilia, apud ſuperos, mixtis inter Lilia roſis, vberiùs paſturæ.

In Anglia, & Scotia, & Hibernia, non acies, ſed integri Martyrum exercitus sũt. Reficiente à Romano Pontifice, & Romana Eccleſia Henrico VIII. Rege, omnes eo Regno furiæ ſunt in catholicos emiſſæ, ac dehacchatæ. Religioſos Trinitarios tẽpempeſtas illa irarum inuoluit, & oppreſſit. Itaquè ipſomet, quo primum deſciuit à fide, & mente, anno, Oxonienſe Monaſterium ſpoliauit, & Fratres omnes occidit, Miniſtro in patibulum acto, & pectore diſciſſo, & exſecto corde, interfecto. Anno proximo, duobus alijs monaſterijs Lodinenſi, & Nouicenſi exciſis, cẽ-

tum

tum circiter fratres, pars ſtrangulati, pars flammis abſumpti, quidam è Superioribus exquiſitiſſimis ſupplicijs necati. Quadriennium hic furor Henricanus deſeuijt; qui multos corripuit, & diſcerpſit.

Immanitas Henrici præ crudelitate Eliſabethæ manſuetudo videri poterit. Nulli ætati, ſexui, Domui Religioſæ pepercit. Ex Trinitatis Familijs, ne veſtigium quidem manſit, præter fumantes vſtulatorum cadauerum reliquias. Incendium non niſi in turbas ſæuire poterat. Itaque ſemel XC. iterum LXXX. rurſum LXX. combuſti. Domus Religioſæ florentes antè, ac copioſę, ſolo æquatæ. Ingentes in frequentibus vrbibus lachrymas fecerũt; ſed palmarum ſyluas in ſuperis plantarunt.

Vicina Hibernia maiori arſit incendio. Ex eius monaſterijs quingentos Martyres diris cruciatibus affectos ad ſuperos per illas ruinas triumphantes miſit. Scotia ſuas victimas Agno immolauit. Numerus incertus eſt, ſed ingens multitudo fuit. Hos illæ tres Prouinciæ fructus Cœlo tulerunt. Gallia purpuream ſe, ſex ſupra viginti noſtrorum ſanguine, quem Hugo-

noti

noti ad Rhodanum effudère, agnouit, & ijs diſtinxit Lilia. Varij diuerſis in Prouincijs Religioſi vitam pro Chriſto ſuam profuderunt viceni ſepteni, quorum nomina in libro vitæ cenſentur. Illorum & illuſtris memoria, qui ex Hibernia profecti ad Euangelium Barbaris gentibus annuntiandum, cum Æthiopia peragrata, Babylonem veniſſent, ibi fidem, quam prædicabant, ſanguine confirmarunt. Vnus eminet Hiberni principis filius B. P. Fr. Artus Onellus, qui Regiam, vndè prodierat, ſtirpem, palma inſerta nobilitauit.

A ſeptentrione, Onello Duce, ad Orientē auecti, in multos incidimus Catholicæ fidei Trinitarios Vindices; qui cruenta via præter lacteam, ſuperos petierunt. Hieroſolymitanū cœnobiū LXVIII. Damiaticum LIII. ignea ſidera aſtris addidit. Domus illa Panis ſacra Bethleem intra Chriſti cunabula, ſepulchra martyrum locari voluit; nam in cœnobio XXXIV. in Collegio XLII. à Turcis interfectos, ſinu ſuo complexa, eodem affectu fouit, quo infantem Chriſtum antea in gremium acceperat, & Innocentium ſuorum meminit, cum ſuſcepit.

Ad

Ad Orientem, alij clariùs occiderunt; quàm ſol oriatur. Primus emicuit Fr. Petrus à Couillone Luſitanus, qui nouos illos Argonautas, Iaſone Vaſco à Gama illuſtriſſimo Duce, mox Architalaſſo, & Comite Indigueriæ nobiliſſimæ domus authore, quæ hodie Marchiones Niſences edidit, comitatus, non aureum vellus quęſiuit, ſed Agnum in Cruce immolatum barbaris annuntiauit; Auroræ thalamos ſanguine diſtinxit. Alter ſecundus tempore, ſed par meritis Fr. Albertus à S. Spiritu Maſſanenſis in Iaponia, quò poſt lõgiſſimos nauigationis periodos captus deuenit, cũ Euangeliũ Chriſti liberè prædicaret, morte glorioſa immaniter vſtulatus occubuit. Has nobis Aſia gẽmas pertulit; duos alios Belgium; vnum Gallia, quis crederet? peperit. Fr. Ioannẽ à Toleto, & Fr. Bartholomæum Ferdinandum Lutherani in Belgio, & Fr. Ioannem à Carba in Gallia, diris affectos cruciatibus interfecere. Nec Hiſpania tot Martyrum mater, quos alebat lacte ad effundendum in alijs Prouincijs ſanguinem, Martyribus caruit, qua mater non erat. Granatæ quippè nouerca Maurorum ſecta remanſerat

ſerat. Huius Fr. Marcus Criado manu interemptus, Matri Hiſpaniæ perſuaſit, vt ſuas reliquias exciperet ſinu, nefarias illas Mauritanas expelleret.

Sed iam ij me vocant, quibus ſtylum ſacraui, quòd ipſum redemptionis munus ſanguine ſuo ſacratius reddiderunt. Tetuani Fr. Franciſcus Truſſiſal redemptione multorum peracta, cum deficeret eum pecunia prædem ſe pro ea, vademque dedit, ac eo nomine coniectus in vincula, quod datam fidem præſtare non potuit, diù, multumque vexatus obijt. Fezij Fr. Auguſtinus Meneſius aſſertis è Maurorum poteſtate Chriſtianis non paucis, voluit & Mauros à ſeruitute Dæmonis liberare, & verum animorum redemptorem agere. Cumque concionari cœpiſſet lapidibus obrutus, & in carcerem detruſus, ac demùm extinctus eſt. Marrochij eadẽ palma, ſed maiore prouẽtu illuſtrior, Fr. Ignatiũ Ianarez decorauit. Hic ingenti numero captiuorum vinculis exempto, quòd maximè doluit ſeptem pueros fidem abiuraſſe, & Turcis cor dediſſe, omnem lapidem ad eos reuocandos mouit. Ac effecit, vt non modo redirent, ſed etiam

palàm

palã Mahometo renuntiarent & pro Chriſto vitam profunderent. Quare in ergaſtulum miſſus, in quo cum diù fuiſſet erũnas, & miſerias tabis lente ſecuta, conſumptus eſt.

Algerij tres PP. Fr. Bernardus Monroyus, Fr. Ioannes Palacios, & Fr. Ioannes del Aquila illuſtriſſimum fecere Martyrium. Redemptione plurimorum confecta, & numerata pecunia, cum horam ſoluere vellent, detinuit Nuntius acceptus de Fatima filia Hameth, Axæ Principis ea in Vrbe viri, à Chriſtianis capta, & Sauonam ducta, vbi ſe ſacris noſtris initiarat, nec redire in patriam volebat. Eo irritatus pater cum Magiſtratu egit, nè captiui cum redemptoribus portu exirẽt, donec Fatima filia Patri redderetur; cumque ad Patrem Monroyum res delata eſſet, rogauit magiſtratum, vt copiam exeundi, quam pactus erat, auro faceret. Negauit ille, niſi Fatima reſtitueretur. Cui Pater reſpondit; id poteſtatis ſuæ nõ eſſe; ac vt foret, ſibi per legem ſuam non licere Chriſtianis ſacris imbutam ad Mahometanos reducere. Igitur ipſe cum duobus ſocijs compræhenſus, & in carce-

rem detruſus eſt. Ibi diù concluſi, & malè habiti, cum ingens ſterilitas ex nimio ęſtu accidiſſet, ac illi ſuis precibus exoraturos pluuiam aſlante Deo promiſiſſent, remiſſa paulùm cuſtodia fuìt, ac impetratis imbribus, Annona viluit: ſed ne id quidem ad libertatem profuit. Iterum vincti, & vexati, donec vnus poſt alium, omnes pædore, & inædia confecti interierunt. Locum Mauri ſepulturæ negarunt, ſed Chriſtiani pecunijs elicuerunt. Eum Deus miris modis decorauit: nam & radijs ſæpe illuſtris ſplenduit, & floribus veſtitus viruit. Certante inter ſe cœlo, & terra de honore illis cineribus impendendo. Eodem ſtudio, effectu non diuerſo, cum, & flores in terris Aſtra, & hæc in ſuperis flores imitentur.

Hos curtim attingere commemorando Martyres volui, quòd facilius ex hiſtorijs colligi potuerunt. Multi ſunt alij, quorum extat idonea quidem, ſub temporum, et perſecutionum iniuria, exciſa memoria; quorum numerum ſi ineamus, et his, quos hactenùs numerauimus, adiungamus, mille circiter ſumam efficiēt. Vt ſi verum eſt, quod dixit Tertullianus *Semen eſſe ſangninem*

nem Chriſtianorum, & plures reddi cum mentuntur. Ingens haud dubiè ex ijs ad immortalem gloriam fructus pullulabit.

Atquè hìc ego operi finé impono. Exiguo ſi voluminis modum, magno ſi rerum pondus ęſtimes. Fides, quòd ab alieno ſcribitur, minùs erit ſuſpecta, nec me nouum in his ſcriptis putes, authores domeſticos, & externos, quos ſim ſecutus, in Indice produco.

Sanctiſſimæ Trinitati Gloria.

APPENDIX
REVELATIONIS
Lateranenſis.

Per P. Fr. Ioannem à Conceptione Diſcalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum Congregationis Hiſpaniæ, in Romana Curia Procuratorem Generalem, & Conuentus S.Caroli ad quatuor fontes Miniſtrum.

IN hac hiſtoria, pars vna ſola viſa eſt aliquibus dificilis. Nēpè dies, qua celebris illa viſio Angeli Redemptoris felic. record. Innocentio III. facta eſt. Dies igitur illa fuit vigeſima octaua Ianuarij, dicata feſto Sanctæ Agnetis ſecundò. Quod ex ſequētibus clarè colligi poſſe videtur.

CA-

CAPVT I.

Summmi Pontifices, qui dictam Reuelationem inſinuarunt; & aſſeruerunt.

SANCTISSIMVS Innocentius Tertius, cuius Pontificatus primitiæ fuerunt Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, tametſi non omnimodo clarè reuelationem expreſſerit propter ſuam humilitatem, & modeſtiam; nihilominus illam aliquoties maximè inſinuauit, & non tàm ſibi, quàm Patriarchis dicti Ordinis attribuit.

In Bulla confirmationis bonorum, & poſſeſſionum, Conuentus Cerui Frigidi, quę incipit, *Operante Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omnę donum perfectũ, &c.* Data anno primo ſui Pontificatus, quę poteſt videri in tomo primo Epiſtol. lib. I. epiſt. mihi 547. dicit ſic, *Nonnulli faciente cum eis Domino ſignum in bonum, Vnde inter alia beneficia, quæ nobis miſericorditer impertitur, ad gratiarum actiones*

propenſius inuitamur, poſteriorum obliti, &c.

Et in Bulla, quę incipit, *Operante diuinæ diſpoſitionis clemētia*, Data etiã ann. primo, in qua concedit, & approbat Regulã propriam noſtri Ordinis, quę videri poteſt, Tomo 1. epiſt. lib. 1. epiſt. mihi 478. & apud Laertium Cherubinum conſtit. 1. loquẽs cum noſtro Patriarcha, dicit ſic. *Sanè cum tu dilectè in Chriſto fili, Fr. Ioannes Miniſter, ad noſtram olim præſentiam acceſiſſes, & propoſitum tuum, quod ex inſpiratione diuina creditur proceſſiſſe, &c.*

Et in Epiſtola, quam ſcripſit ad Miramamolinum Regem Marrochetanum, anno ſecundo ſui Pontificatus, quæ reperitur tomo primo Epiſt. lib. 2. epiſt. 9. dicit ſic. *Sanè viri quidam, de quorum numero exiſtunt præſentium portitores, nupèr diuinitus inflammati, Regulam, & Ordinem inuenerunt, per cuius inſtituta tertiam partem prouentuum*, &c.

Et in Bulla data anno duodecimo ſui Pontificatus, quæ eſt noua confirmatio Ordinis, & priuilegiorum conceſſio, quæ affertur à Cherubino conſtit 9. repetit ſupradicta verba, nempè, *Nonnulli faciente cum eis Domino ſignum in bonum, &c.*

Et

Et in Epitaphio, quod de ordine Innocẽtij poſitum fuit in ſepulchro marmoreo noſtri Patriarchę S. Ioannis de Mattha in Eccleſia S. Thomæ de Formis in Vrbe, in Monte Cælio, vſque nunc legitur ſic. *Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, centeſimo, nonageſimo, ſeptimo, Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo, &c. Inſtitutus eſt Nutu Dei Ordo Sanctę Trinitatis, & Captiuorum, à Fratre Ioanne ſub propria Regula ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſa, &c.*

Et in anno quarto Pontificatus Innocẽtij III. Sereniſſimus Petrus Secundus Aragonum Rex, in priuilegio, quo concedit noſtro Patriarchæ, & eius alũnis, vt in toto ſuo Regno poſſint petere eleemoſynas, & recipere legata pro Redemptione Captiuorum, dicit ſic, *Inſuper recipimus præfatum Ordinem Sanctæ Trinitatis, & Captiuorum per Dominum Papam Innocentium Tertium cæleſti reuelatione inſtitutum, & approbatum, &c.* Iſtud priuilegium extractum ex Archiuio Regio Barchinonenſi affertur à P. Fr. Ioanne à Sancto Roberto, ſeu Figueras in Chronico Ordinis, pag. 593. & præſentatum fuit Illuſtriſſimo D.

Sacræ Rituum Congregationis Secretario.

Rurſus fel. rec. Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Cum ſicut accepimus à pluribus annis citra*. Data anno 1571. decimoquinto calendas Nouembris, Pontif. ſui anno 6. in qua mandat fieri reſtitutionem omnium bonorum, & poſſeſſionem Conuentus S. Thomæ de Formis, dicit ſic. *Innocentius Papa III. prædeceſſor noſter, primò Ordinem ipſum, qui inter cæteros Vrbis, & Orbis Ordines iuxta Regularia illius inſtituta magis in charitate, &c. diuino quodam aſlatu (vt piè creditur) inſpiratus inſtituit, &c.*

Et Gregorius XIII. anno 1575. approbauit elegantem, & egregiam orationem coram Sanctitate ſua factam à R. P. Franciſco Bochet Theologo Pariſienſi, & Vicario Generali noſtri Ordinis, in qua expreſsè, & fusè intonuit hanc reuelationẽ factam Innocentio celebranti in Baſilica Lateranenſi in die S. Agnetis ſecundò. Hæc oratio excuſa Romæ dicto anno, aſſeruatur in Bibliotheca Barberina, inter miſcelanea, litera F. & affertur à Magiſtro Fr. Ioanne de Figueras in Chronico Ordinis pag. 497. & oſtenſa fuit Illuſtriſſimo

Sacræ

Sacræ Rituum Congregationis Secretario.

Et fel.record.Clemens Octauus, ſeu, de eius ordine, Eminentiſſimus Hieronymus Cardinalis Ruſticucius, in Bulla, qua præbet formam faciendi abſolutionem generalem, dicit ſic. *Cum ergo Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Nutu diuino per fel.record. Innocentium III. inſtitutus eſſe dignoſcatur, &c.* Apud Cherubinum in Clem.8. conſtit.79.

Præterea, fel.record. Vrbanus Octauus in Bulla confirmationis priuilegiorum ordinis, data anno 1623. Pontificatus ſui primo, dicit ſic, *dictus Ordo SS. Trinitatis, &c. diuino Nutu fundatus, &c.*

Et ipſe Vrbanus, ſeu Sacra Rituum Congregatio, anno 1632. die decima ſeptima Iulij, in decreto quo concedit, vt in die S. Agnetis ſecundò fiat abſolutio Generalis dicit ſic. *Cum Ordo Religioſorum SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum aſſeratur fundatus, & inſtitutus Nutu Dei ab Innocentio Papa III. in die S. Agnetis ſecundò, & ob id totam Religionem SS. Trinitatis dictam S. Agnetem in patronam elegiſſe, &c.*

Et ipſe Vrbanus, in Bulla data die 20.

Nouembris Patribus Calceatis, & die decima quinta Martij Patribus Diſcalceatis anno 1632. ad recitandum officium duplex, & cum octaua in die S. Agnetis ſecundò, dicit ſic. *Quod olim ordo huiuſmodi, Nutu Dei, à fel. recordat. Innocentio Papa III. prædeceſſore noſtro, die feſto S. Agnetis ſecundò, ſub Regula propria SS. Patriarchis dicti Ordinis Fundatoribus tradita, inſtitutus fuit, &c.*

Ex quibus patet, dictam reuelationem non ſolùm inſinuatam, ſed aſſertam à Sũmis Pontificibus per illa verba, *faciente cum eis Domino ſignum in bonum*, &c. Ordo *inſtitutus Nutu Dei, &c. Et cæleſti Reuelatione, &c.* Signum, Nutus, Reuelatio, nullo modo conueniunt, nec verificantur de interna inſpiratione, &c.

CA-

CAPVT II.

Authores; qui dictam Reuelationem expreſsè afferunt, & aſſerunt, aſſignando annum primum Innocentij; & diem S. Agnetis ſecundò.

AVTHORES ſolùm producuntur, qui reperti ſunt, & facilè videri poſſunt in aliquibus Almæ Vrbis Bibliothecis; omittendo alios antiquiſſimos, qui haberi non potuerunt; &c.

Robertus Gaguinus Miniſter Generalis Ordinis, qui floruit anno 1470 & ſeq. id affirmat in in compendio de Geſtis Frãcorum, in vita Philippi Auguſti. Inuenitur hoc compendium in Bibliotheca Barberina. Id etiam aſſerit in Hiſtoria de mirabili iſtius ſacri Ordinis Inſtitutione.

Petrus de Aponte Epiſcopus Balearicus in præfatione antiqui Breuiarij Ordinis tempore Leonis X. inuenitur in Conuentu Sancti Caroli ad quatuor fontes, &

pre

præſentatum fuit Illuſtriſſimo Secretario.

Franciſcus Bochet, Doctor Pariſienſis, & Vicarius Generalis noſtri Ordinis, in Oratione habita coram Gregorio XIII. inuenitur in Bibliotheca Barberina, excuſa Romæ anno 1575. & oſtenta fuit Illuſtriſſimo Secretario in chronico latino Ordinis.

Alphonſus Illeſcas, in hiſtoria Pontificali, prima parte lib. 9. in vita Innocen. III. impreſſa anno 1573. inuenitur in Bibliotheca Barberina.

Carolus de Tapia Regens Cōſilij Collateralis Regni Neapolitani, ſuper Authentica, Ingreſſus Monaſterij. Oſtenſus illuſtriſſimo Secretario.

Marcus Antonius Sabelicus tomo 2. Eneadum, Eneade 9. lib. 5. in fine pag. 735. col. 1. impreſ. in Baſilea anno 1560. Eſt in Bibliotheca Barberina.

Siluester Marulus, ſeu Maurolicus, Siculus, Ordinis Ciſtercienſis Abbas Sanctę Mariæ de Rupe. In mari Oceano omniū Religionum lib. 3. tit. del Ordine de la SS. Trinità pag. 9. & ſeq. impreſſo Meſſanæ 1613. Eſt in Bibliotheca Barberina.

Ægidius Gonzalez de Auila, Choroniſta

ſta Regum Catholicorum Philip pi Tertij, & Quarti, in compendio Ordinis SS. Trinitatis, edito Matriti anno 1630. Reperitur in Bibliotheca Barberina.

Benedictus Gononius Celeſtinus, in vitis Patrum Occidentis. Oſtenſus fuit Illuſtriſs. Secretario.

Octauius Panzirola, lib. intit. li teſori naſcoſti nell'alma Citta di Roma. Oſtenſus fuit Illuſtriſſimo Secretario.

*I*oannes Seueranus, lib. intit. Memorie ſacre delle ſette Chieſe di Roma. Oſtenſus Illuſtriſs. Secretario.

Didacus de Haedo Archiepiſcopus Panormitanus, Ordinis Sancti Benedicti. In Generali Algieri Hiſtoria, impreſſa anno 1612. reperitur in Bibliotheca Barberina.

Proſperus Stellartio Ordinis Eremitarum S. Auguſtini lib. 6. intit. Fundamina, & Regulę omnium Ordinum. Impreſſo Duaci anno 1620. à pag. 435. Eſt in Bibliotheca Barberina.

Martinus Carrillo, Abbas Montis Aragonici, Canonicus Regularis S. Auguſtini, in libro intit. Annales Chronologici Mundi ad annum 1198. lib. 4. fol. 143. in vita Innoc. III. Eſt in Biblioth. Barberina.

An-

Antonius Brandanus, Monachus Ciſtercienſis, Chroniſta Regni Portugaliæ, in ſua Monarchia Luſitana, 4. par. cap. 9. fol. 87. col.4. reperitur in Bibliotheca Barberina.

Iacobus de Breul, Ordinis Sancti Benedicti, in lib. de antiquit. Ciuitatis Pariſ. titulo de Ordine Patrum Mathurinorum, Sermone Gallico pag.486. impreſſo anno 1612. Eſt in Bibliotheca Barberina.

Alphonſus Remon, Ordinis B. Mariæ de Mercede, in Chronico ſui Ordinis, à fol. 55. Eſt in Bibliotheca Barberina.

Abrahamus Bzouius, ex Familia Dominicana, & continuator Annalium Eminentiſs. Baronij Tom.13. in vita Innoc. ad annum 1199. pag.55. col.2. inuenitur in multis Bibliothecis.

Enricus Spōdanus, Epiſcopus Appamiarum, & continuator Baronij, ad annum 1209. inuenitur in multis Bibliothecis.

Ioannes Tamayus Salazar in ſuo Martyrologio Hiſpano 6. par.

Bernardinus à Sancto Antonio, Prouincialis Portugaliæ, in Epitome Generaliũ Redemptionum, impreſſa Vlyſſipone anno 1623. dicata Emin. Cardinali Bandi-

no

no noſtri Ordinis Protectori, lib. 1. cap. 4. oſtenſa Illuſtriſſimo Secretario. Iſte Author citat alios noſtri Ordinis antiquos, & graues, vt Iacobum Burgeſium Prouincialem inferioris Germaniȩ, & Michaelem Borrelum Prouincialem Aragoniæ, & Didacum Lopez Barona, &c.

Petrus Lopez de Altuna Choroniſta Generalis Ordinis in ſuo Chronico, Hiſpano ſermone, præſentato Illuſtriſſimo Secretario.

Ioãnes de Figueras Carpi, noſtri Ordinis, Prouincialis, & Vicarius Generalis per Angliam, Scotiam, & Hyberniam. In Chronico Ordinis, præſentato Illuſtriſſimo Secretario; impreſſo Veronȩ anno 1645. Hic author peragrauit omnes Ordinis Prouincias, & plura Archiuia, & Bibliothecas vidit, & ad manus habuit antiquos libros, & Regeſtra, vt librum, ſeu Chronicum manuſcriptum anno 1299. à noſtro Silueſtro Hurleo Hiberno, & Hiberniæ Prouinciali. Et librum de fundatione Ordinis manuſcriptnm anno 1395. à noſtro Georgio Innes Scoto, Doctore Theologo Oxonienſi, Prouinciali, & Vicario Generali per Scotiam, Hiberniam, &

Da-

Daniam, & alios qui dictam Reuelationem afferunt, & aſſerunt, &c. Et credo Magiſtro Figueras, nam quos ex ipſo quęſiui Authores, inueni fideliter citatos.

Ioannes Iennyn I.V. Doctor, & Prothonotarius Apoſtolicus, in lib. intit. *Vera Confraternitas*, &c. impreſſo Romæ in Camerali anno 1652. approbato à R. P. Mag. Vincentio Fano, & oſtenſo Illuſtriſſimo Secretario.

Ioannes à Sancto Bonauentura Procurator Generalis noſtræ Congregationis, & anteceſſor meus, in lib. in tit. *Faſciculus Trium Florum*, impreſſo in Camerali anno 1651. approbato à R.P. Mag. Vincentio Cepolla, & oſtenſo Illuſtriſſimo Secretario.

Franciſcus à S. Laurentio ex noſtris Diſcalceatis Gallicanæ Familiæ, [in lib. intit. *Breuiſſimo Compendio dell'Indulgenze* impreſſo in Camerali anno 1643. approbato à R.P. Mag. Sacr. Apoſt. Palat. Michaele Mazarino, & oſtenſo Illuſtriſſimo Secretario. Et etiam in *Panegyrico SS. Ioãnis, & Felicis*, eodem anno impreſſo, & ab eodem Magiſtro approbato, & etiam in libello intit. *Compendio memorabile della*

la Inſtitutione dell'Ordine della SS. Trinità, impreſſo in Camerali anno 1650. approbato à R.P. Mag. Vincentio Fano, Et in alio ſimili libello approbato à R.P. Vincentio Maria Guiniſio, impreſſo in Camerali anno 1658.

Nouiſſimè Illuſtriſſimus D. Ludouicus Donius D' Attichi, Epiſcopus Eduenſis, in Hiſtoria Cardinalliũ, ad annum 1191. pag. 231. num. 24. ex Gaguino, Sabelico, & Bzouio, dictam viſionem aſſerit, & refert.

Tandem, de publica voce, & fama, ab antiquiſſimis temporibus, dictæ Viſionis, & Reuelationis factæ Innoc. III. celebranti in die S. Agnetis ſecundò, examinati ſolemniter iurarunt decem teſtes, quorum nomina do in Indice Authorum.

CA-

CAPVT III.

Reuerendiſsimi Magiſtri Sacri Apoſt. Palatij, qui dictam Reuelationem in diuerſis libris approbarunt per ſe, atque Socios.

REVERENDISSIMVS, & Sapientiſſimus Magiſter Silueſter de Priero anno 1518. tempore Leonis X. in Breuiario Ordinis Sãctiſſimæ Trinitatis, cuius frons expræſſam præfert Imaginem Innocentij Tertij celebrantis, & Angeli ſibi apparentis, &c. & fusè affert Hiſtoriam Ordinis, & Reuelationis. Dictum Breuiarium oſtenſum fuit Illuſtriſſimo Secretario.

Reuerendiſs. Magiſter, qui approbauit Orationem factam coràm Gregorio XIII. excuſam Romæ, anno 1575. apud Ioſephum de Angelis.

R. P. Mag. Paulus de Francis an. 1600. in lib. intit. teſori naſcoſti nell'alma Città di Roma, raccolti per Ottauio Paciroli.

R.P.

R. P. Mag. Hyacinthus Lupus Socius Reuerendiſs. Magiſtri Nicolai Riccardi anno 1629. in lib.intit Memorie ſacre delle ſette Chieſe di Roma, raccolte da Giouanni Seuerano.

Reuerendiſs. Magiſter Michael Mazarino, poſt Eminentiſs. Card. an 1643. in lib. intit. Breuiſſimo Compendio dell'Indulgenze dell' Ordine della SS. Trinità, impreſſo nella Camerale, ann. 1643.

Idem, & eodem anno in Panegyrico SS. Ioannis, & Felicis, &c. & ex recentioribus quatuor alij.

CAPVT IV.

Aliquæ Obiectiones ponuntur, & diluuntur.

OBIICITVR primò. Innocentius Tertius Creatus fuit Summus Pontifex octaua die Ianuarij, anno Dominicæ Incarnationis 1197. Vel ſecundum communem numerationem anno 1198. Et quia tunc Diaconus erat diſtulit Ordina-

tionem in Presbyterum vſque ad Sabbatum quatuor temporum, nempè vſque ad vigeſimam primam diem Februarij. Nam tùnc temporis non ſolebant Pontifices ſecum diſpenſare, & extra tempora ordinari: Ergo non erat Sacerdos die vigeſima octaua Ianuarij, ac proinde, licèt Reuelatio certa ſit, non tamen Innocentio celebrante.

Reſpondetur, quod ante Innocentium Tertium multi creati ſunt Summi Pontifices, cum ſolùm eſſent Diaconi, qui tamen initiati ſunt Presbyteri extra quatuor tempora: Ergo non eſt verum quod tunc temporis nō ſolebant Pontifices ſecum diſpenſare. Probo antecedens quatuor exemplis deductis ex R.P. Alphonſo Ciaconio in vitis Pontificum. Primo igitur Ciaconius colu. 126. ad annum 423. loquens de Celeſtino primo, qui Diaconus tantum erat, ſic ait. *Creatus, & conſecratus tertio Nonas Nouembris.* Suus immediatus Anteceſſor Bonifacius I. mortus fuit octauo Calendas Nouembris, & Celeſtinus conſecratus die tertia Nouēbris, & omne iſtud temporis interuallum, in quo ordinatus eſt Presbyter, longè eſt à

Qua-

Quatuor Temporibus. Secundo P. Ciaconius col. 136. ad annum 461. loquens de Hilaro, qui erat ſolùm Diaconus, dicit ſic. *Creatus, & conſecratus tertio Calendas Maij*. Hoc eſt, die vigeſima nona Aprilis, & tali die nec Sabbatum Sanctum, nec Tempora Pentecoſtes poſſunt occurrere, vt conſideranti patebit. Tertio P. Ciaconius col. 191. ad annum 604. loquens de Sabiniano, qui tantùm Diaconus erat, dicit ſic. *Creatus Calendas Septembris, conſecratus die Dominico Idibus Septembris*. Et aliqua die ante debebat Ordinari Presbyter. In quam diem nunquam incidunt quatuor tempora Septembris, vt cogitanti fiet clarum. Quarto Ciaconius col. 305. ad annum 872. loquēs de Ioanne VIII. qui ſolùm Diaconus erat, dicit ſic. *Creatus, & Conſecratus decimo nono Calendas Ianuarij*. Ideſt, die decima quarta Decembris. In qua die nunquam occurrit Sabbathum quatuor temporum, vt in illo Presbyter fieret. Ex quo claret, quòd ante Innocentiū extra tempora ordinabantur, &c.

Rurſus, poſt Innocentium Tertium poſſumus adducere duo alia clariſſima exē-

pla ex ipſo Ciaconio. Nam col. 760. ad annum 1277. loquens de Nicolao Tertio qui tantum Diaconus erat, dicit ſic. *Septimo Calendas Ianuarÿ in Baſilica Vaticana S. Petri in Presbyterum, & Epiſcopum Conſecratus*. Qui dies eſt feſtum Prothomartyris Stephani, &c. Item col. 1103. ad annum 1417. loquens de Martino V. qui tantùm erat Diaconus, dicit ſic. *Die Sabbathi decimo Calendas Decembris in Presbyterum Ordinatus eſt, & ſequenti die Dominico Conſecratus, &c.* Et in tali die, quæ eſt vigeſima ſecunda Nouembris, nunquam poſſunt occurrere quatuor tempora. Vnde ante, & poſt Innocentium extra tempora initiabantur, &c.

Obijcitur ſecundò, ſunt aliqui Authores, nempè duo, vel tres, qui Ordinationem Innocentij in Presbyterum diferunt vſque ad vigeſimam primam diem Februarij: Ergo, &c.

Reſpondetur primo, quod illi plurimi & graues Authores ſupra à nobis allegati cap. 2. dicunt Innocentiū antea ordinatum fuiſſe, cum omnes ponant illum celebrantem in Baſilica Lateranenſi die vigeſima octaua Ianuarij; & multi ex iſtis

Au-

Authoribus ſunt de illis, qui ex profeſſo agunt de vitis, & geſtis Pontificum, & maiorem fidem, & authoritatem debent habere tot, tantique ſcriptores, quàm duo, vel tres.

Secundo, ex iſtis paucis non eſt Eminentiſs. Card. Baronius, nam viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, antequàm Vitam Innocentij Tertij in lucem ederet. Nec in manuſcriptis aliquid contra nos reliquit; Et tametſi inueniretur, non deberet ad hoc attendi; cum (teſte Spondano) manuſcripta nec penitus digeſta, nec perpolita à Baronio fuerint, & multa conijcit in primum annum Innocentij, quæ in eo non contigerunt, & multa quę contigerunt, non adiecit.

Tertio, adhuc in iſtis paucis non eſt cõcors ſententia, nam vnus dicit, quod in eadem die vigeſima ſecũda Februarij Cathedræ Antiochenæ, fuit Ordinatus Preſbyter, & conſecratus Epiſcopus, & ſolẽniter coronatus, quod abſurdum videtur, eo quòd in Matutino illius diei debebant celebrari duæ Miſſæ ſolemnes, & Pontificales, vna in qua initiaretur Presbyterio, alia in qua cõſecraretur Epiſcopus, quòd

moraliter videtur impoſſibile. Alius ponit Ordinationem in Presbyterum die ante conſecrationem. Alij multi aſſignant diem electionis, & diem conſerationis, & nihil dicunt de die Ordinationis in Preſbyterum; ſicut facit P. Ciaconius in quatuor exemplis ſupra adductis pro reſponſione primæ obiectionis; vbi etiam indiſtinctè loquitur dicens de Celeſtino, Hylaro, & Ioanne, *Creatus, & Conſecratus tali die*, &c. Et certiſſimum eſt, quòd dies creationis diſtinctus fuit à die conſecrationis. Sic etiam alij ſcriptores confusè loquuntur, &c.

Dicimus igitur, Innocentium fuiſſe electum Pontificem die octaua Ianuarij, & coſecratum, & coronatum die Cathedræ Antiochenæ, nempè vigeſima ſecunda Fabruarij, vt omnes fatentur. At verò Presbyterum factum die Cathedræ Romanæ, nempè die decima octaua Ianuarij, quæ fuit etiam dies Dominicus, cum vtriuſque Cathedræ ſit eadem litera Dominicalis in Calendario, nec poteſt vna Cathedra celebrari in Dominica, & non alia; ac proinde dies illa erat idonea, vt ſacerdotio initiaretur. Et congruentia

per-

perſuadet, reſpexit enim ad Cathedras, atque adeò vtì voluit conſecrari die Cathedræ Antiochenę, ita videtur voluiſſe ordinari die Cathedrę Romanæ, vt vtriuſque Cathedræ omen ad Pontificatum ſuũ deferret. Nec enim decens videbatur Innocentium, qui vir erat ſanctus, & religioſns tandiu ſacris ordinibus carere voluiſſe. Certe pietatis erat, & religionis Miſſam quàm primum poſſet dicere, nec eam per menſem, & dimidium differre. Erat ergo Sacerdos die vigeſima octaua Ianuarij, & ſacrum fecit in Laterano, vt ego opinor, & Viſionem Angeli Redemptoris habuit, vtì eſt conſtans, & antiquiſſima Ordinis Sanctiſſimæ Triniratis traditio per quatuor ſæcula, & dimidium, tot Authorum, ex omni natione, & ſtatu conſenſu firmata, &c.

Sanctiſſimæ Trinitati Gloria:

INDEX

Authorum, ex quibus præſens opus deductum, & concinnatum eſt.

VIGINTI & ſeptem Authores allegati in Appendice, c. 2

Epiſtolæ Innocentij Papæ III. tom. 1. lib. 1. & 2.

Archiuium Conuentus S. Victoris, Pariſienſis, Canonic. Regul. S. Auguſtini.

Archiuium Eccleſię de Falcone.

Archiua Conuentuum Toloſani, Maſilienſis; Auenionenſis, Auinganienſis, Ondiſcotani, & Romani S. Caroli ad 4. fontes.

Breuiarium Prouinciæ Anglicanæ.

Breuiarum antiquum manuſcriptum, Conuentus de Burſena in Burgundia.

Breuiarium Conuentus Arelatenſis.

Breuiarinm antiquum Eccleſię Cathedralis Meldenſis.

Breuiarium antiquũ Prouincię Aragoniæ, &c.

Cherubinus Tom. 1. Bull. & Tom. 4. in Appendice.

Gui-

Guilelmus Spina Anglus, Monachus Benedictinus, Centuria 1. de Aduentu Monachorum Ordinis SS. Trinitatis in Angliam, &c.

Alphonſus Aluarez Guerrero, Præſens Neapolitanus, in lib. intitul. Theſaurus Chriſtianæ Religionis, impreſſo Venetijs, anno 1559.

Stephanus de Garibay, in Comp. Hiſt. & vniuer. hiſt. Omnium Regnorum Hiſpaniæ. tit. 2. lib. 12.

Hieronymus Gratianus Carmelita, in tractatu de Redemptione Captiuorum, Hiſpanico Idiomate, impreſſo Romæ anno 1597. dicato Clem. Papę VIII.

Hippolytus Maracius, in lib. intit. Fundatores Mariani.

Traianus Maffei Florentinus, in vita iſtorum Patriarcharum, quam Italico ſermone manuſcriptam, & cum facultate ad impreſionem, reliquit, &c.

Authores Ordinis SS. Trinitatis.

Octo citati in Appendice cap. 2. inſuper qui ſequuntur.

Georgius Innes, Scotus Doctor Oxonien-

nienſis, Vicarius Generalis Angliæ Scotiæ, & Hiberniæ, in lib. de Fundatione Ordinis Sanctiſſimę Trinitatis, impreſſo Antuerpiæ, anno 1447.

Ioãnes BlacKeney in lib. de mundi ętatibus, impreſſo Londini anno 1447.

Ferrarius Grait Aragoniæ Prouincialis, in codicibus geſtorum S. Ioannis de Mattha, reſeruatis in Archiuio Conuentus de Auingania.

Eneccus Porcel, Prouincialis Caſtellę in lib. intit. Flos Obſeruantiæ.

Michael Borrelus Mag. Theologiæ in Aragonia, in hiſtoria de Ord. Iuſtitutione.

Franciſcus Barba Hiſpanus, in hiſtoria de Ordinis Inſtitutione.

Iacobus Burgeſius, Prouincialis Picardiæ, in libello de Regula noſtra.

Chriſtophorus Perez, in Romana Curia Proc. Generalis, in libro de Inſtitutione Ordinis impreſſo Ferraræ, anno 1575.

Paulus Aznar in lib. Exercitiorum ſpiritualium, tract. 3. cap. 9.

Chriſtophorus **de Ieſu** Prouincialis Luſitaniæ, in lib. conſtitut. &c.

Chriſtophorus Oſorio Luſit. in lib. intit. Pancarpia virorum illuſtrium, lib. 14.

Pe-

Petrus Dan, Gallus, in hiſt. de Barbaria, ſermone Gallico, &c.

Emanuel de Lemos, Doctor Conimbricenſis, in Tract. de Inſtit. Ordinis, &c.

Paſqualis Guaſque, in lib. de cęleſti inſtitutione huius Sacri Ordinis, impreſſo Neapoli anno 1639. Et alij plurimi.

Decem Teſtes ſolemniter examinati,

In alma Vrbe anno 1630. ſub fel. rec. Vrbano Papa VIII. pro capienda informatione immemorabilis Sanctitatis, Cultus, & venerationis SS. Ioannis de Mattha, & Felicis de Valois; necnon pro Viſione, quam habuit Innccentius III. celebrans in Lateranenſi templo, in die Sanctę Agnetis ſecundò. Quorum nomina, & qualitates ſunt.

R.D. Doctor Gabriel Maria de Teggis, Aduocatus Generalis S.V. in toto Comitatu Venaſino, Conſultor S. officij, legationis Auenonienſis Decanus, Chriſtianiſſimi Regis Eques conſiliarius Cubicularius, Dominus locorum Zenoſæ, & S. Deſiderij in Comitatu Venaſino.

R.P. Hieromymus de SS. Sacramento Or-

Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum ex Diſcalceatis Gallis, & Reformator in Gallia.

R.P. Alexander de Alexis Romanus, Procurator Generalis Ordinis SS. Trinitatis, Prouinciæ Italię Pater.

R. P. Philippus de Gouea, Diœceſis Conimbricenſis Regni Portugalliæ, Procurator Generalis Ordinis S. Benedicti.

R.P. Ioannes de Schiuias Valdes, Preſbyter Toletanus Ordinis SS. Trinitatis.

R. P. Gonzaluus de Albornoz Sacræ Theologiæ Lector iubilatus vniuerſitatis Complutenſis, qualificator S. Officij Hiſpaniarum, Presbyter Soc. Ieſu.

R. P. Lucas Vaddingus Ordinis S. Frãciſci ſtrictioris obſeruantiæ, ſacræ Theologiæ Profeſſor de Hybernia, Guardianus S. Iſidori de Vrbe, Generalis Inquiſitionis Romanę qualificator, ſacrorum Rituum Conſultor.

R. D. Petrus Sarabia I.V.D. loci Pampilonẽſis, eiuſdem Ciuitatis Canonicus, & Regius Capellanus Catholicę Maieſtatis.

R.D. Lazarus de Iudicibus Presbyter, Diœceſis Burgenſis, in ſacra pagina Doctor, & Magiſter, S. Inquiſitionis Regni

Na-

Nauarrę Cominiſſarius, & in ſacro Collegio Maiori S. Clementis Hiſpanorum Bononiæ alumnus.

R.D. Licentiatus D. Ludouicus Albarez Pereyra Presbyter Vlixbonenſis, Archidiaconus Bracharenſis, & Prior Nationis Hiſpaniarum in Vrbe.

Denique.

Proceſſus fabricatus in Hiſpania anno 1623. ſub fel. rec. Gregorio XV. pro Beatificatione ſeruorum Dei, Mag. Fr. Bernardi de Monroy, Fr. Ioannis de Palacios, Fr. Ioannis del Aguila, qui pro fidei Catholicæ defenſione Algieri mortem obierunt. Qui proceſſus in hoc noſtro Archiuio S. Caroli ad 4. fontes ſeruatur.

Sanctiſſimæ Trinitati Gloria.

Pro-

Proteſtatio Authoris.

LEctor aduerte, quod non omnia exarata in præſenti libello accipi velim tamquã ab Apoſtolica Sede examinata, approbata, decretaque; ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Authorum fide pondus obtineant; atque adeò non aliter quàm humanam, & priuatam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum Sac. Rit. Congreg. & vniuerſalis Inquiſitionis decretum Editum anno 1652. & confirmatum anno 1634. integrè, & inuiolatè iuxta declarationem eiuſdem decreti à ſan. me. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, ſeruari à me omnes intelligant; nec velle me hoc nouo teſtimonio vim aliquam, aut probationis gradum prædictis augeri, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſis hiſce meis lucubrationibus obtinerent, non obſtante quouis longiſſimi tẽporis curſu. Idque tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui S. Sedis Apoſt. filius obedientiſſimus haberi cupit, ab eaq. in omnibus dirigi velit.

Fr. Franciſcus à S. Auguſt. Macedo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Er-

Errata	*Corrige.*
Pag.17. lin.12. quæ,	lege, qui.
18. lin. vlt. eridiatur.	erudiatur.
21: lin. 12. quidam,	quiddam.
23. In titulo Oſtenſum.	oſtentum.
24. lin.19. non cedit hic,	excepit hic
24. lin.24. immitaris,	imitaris.
25. lin.4. væ tu,	Næ tu,
39. lin.penult. obrenta,	obtenta.
42. lin.13. precs,	preces.
42. lin.24. proximum,	proximo.
43. lin.2. ornatus,	ornatum.
43. lin.17, varios, locos	varijs locis.
49. lin.9. Miramolino,	Miramamolino.
ibi lin.21. iupenerunt.	Inuenerunt.
50. caput. XXIII.	XVIII.
52. lin.19. Ioanni,	Ioannis.
66. lin.vlt. Papa,	Papæ.
72. lin. 22. reliquo,	relinquo
82. lin.3. inuocenti.	innocenti.
ibi lin.4. eultura,	cultura.
ibi infine, manum,	manuum.
98. lin. 17. tum hoſte,	cum hoſte.
105. lin.2. campanæ,	campana.
108. lin.12. Matre,	Matrem.
110. lin.18. oculis,	oſculis.
112. in tit. Offertur,	Efferrur.
ibi lin.vlt. ſtinculis,	vinculis.
123. lin.22. Boylace,	Boileau.
125. lin. 20. 2630.	1630.
129. lin.20. ornamenta,	ornamento.
135. lin.17. Pontifex.	Pontifices.
141. lin.10. qua,	quæ.
151. lin.14. peſequor,	perſequor.
156. lin.14. ſtuſtia.	ſtudia.
167. lin. penult. immunitate,	Immanitate.
170. lin.16. Reficiente.	Deficiente.
ibi. lin.19. dehacchata,	debacchatæ.

Alia leniora candido Lectori corrigenda relinquuntur.